

239

GEORGII WOLFFGANGI  
WEDELII  
COMPENDIVM  
C H I M I Æ,  
THEORETICÆ ET PRACTICÆ,  
METHODO ANALYTICA  
PROPOSITÆ.



I E N Æ

Sumptibus IOH. FELICIS BIELCKII,

LITERIS KREBSIANIS,  
ANNO MDCCXV.

GEORGIUS WILHELMUS  
MEDICINAE  
C. H. I. I. A.  
THEORIE  
METHODE



JOHANNES  
LEIPZIG

SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,

DOMINO

IOHANNI ERNESTO,  
DVCI SAXONIAE, IVLIAE,  
CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE ET  
WESTPHALIAE, LANDGRAVIO  
THVRINGIAE, MARCHIONI MIS-  
NIAE, PRINCIPALI DIGNITATE  
COMITI HENNEBERGLAE, COMI-  
TI MARCAE ET RAVENSBER-  
GAE, DYNASTAE IN RA-  
VENSTEIN, &c.

PRINCIPI AC DOMINO MEO  
CLEMENTISSIMO.



SERENISSIME PRINCEPS  
AC DOMINE, DOMINE  
CLEMENTISSIME,



**I**nter summa diuini  
Numinis in me indignis-  
simum collata benefi-  
cia illud in primis nu-  
me-

☞ (o) ☞

mero, quod in Diui ERNESTI  
PII, Ducis Saxoniae, gloriosissimae  
memoriae, notitiam, Aulam, gratiam  
licuerit peruenire. Inde enim omnis  
mea fortuna vbertim emicuit, tanto  
magis, quanto amplius vniuersae  
Serenissimae & coelitus benedictae  
Domus, & tot heroum radiantis-  
sima clementia in me exporrecta  
fuit.

Vel sola Serenissima Tua ineffa-  
bilis gratia fusissime id in hanc diem  
testatur, quam nunquam deprædicare  
immortali laude satis valeo.

Id vnum solum liceat humillime  
extollere, quod summum & sapien-  
tissimum demiratus sim dudum Tuum

)( 3

in

☉ ( o ) ☉

in arcanis etiam sublimioribus Chimiæ  
iudicium.


Vix noui, qui Basiliæ Valentini scri-  
pta profundissima tam curatissime te-  
neat; qui magis sobrie de omnibus  
illis sentiat, & sine solita non paucis  
in his talibus luxurie, in via Re-  
gia curiosissime versetur, nec admit-  
tat fallacias, & qui hinc successus in  
minera aurifera, per Dei O. M. gra-  
tiam, ditionis Salsfeldensis expertus  
sit profundiores.

Testis horum omnium sustineo  
esse genuinus, expertus etiam hinc  
munificentiam Principalem, & expe-  
rimentis inauditis delectatus subie-  
ctissime.

ε )(

Mit.






Mitto alias Christianas eminentissimas virtutes, familiae Serenissimae & Aulæ florem & splendorem summum, subditorum tenerrimum amorem, ornamentum atque delictium Domus, verbo, diuini numinis benedictionem cumulatissime effusam.

Quare mille modis inductus, maxime rarissima iam, nec satis laudanda experientia in pyrotechnia curiosa, ausus sum Schedas has leuissimas humillime ad pedes Tuos deponere, & Serenissimo nomini subiectissime inscribere.

Seruet Te Deus, Serenissime Princeps, Domine clementissime, qui tot lon-




longissimis annis gratiosissimis Sere-  
nitatis Tuæ radiis lætus & fatus, dum  
vitam largietur diuinum numen, non  
desinam coelitus perennantem glo-  
riam, & gratiam diuinam, quæ instar  
omnium est, apprecari

## SERENITATI TVÆ

Dab. Ienæ M DCC XV.  
Cal. Augusti.

humillimus & deuotissimus Seruus

GEORG. WOLFFG. WEDELIVS.



## PRÆFATIO

AD

### *Lectorem Beneuolum.*

**S**æpius quidem in Chimicis desudavi & delectatus exercitamentis, nec vno modo, vel methodo vniformi vsus sum in docendo & demonstrando hæc talia; Scorsim vero obseruavi, paucos admodum occupatos fuisse in Theoria, imo quosdam nullatenus admittere principia Chimica, quin nec ipsa prima rerum, vel notissima elementa quoque.

Atque hinc in tanta putata luce, & experimentis factis abundantissime, nihilominus in diuersas hypotheses & sententias itur adhuc, vt in medio die videatur quædam superesse caligo.

Post vero, quam hæc inuestigauimus nostro leuidenti loco penitius, videmur solida fundamenta, sedula naturæ perquisitione, iuncto antiquitatis scrutinio,

) ( ) (

citra

## PRÆFATIO.

citra litigia & controuersias inanes, inuenisse, vel aliis magis claranda saltem suppeditare posse.

Annisi sumus delibare ulterius, vel attingere infinitam & inexhaustam diuinam sapientiam. Quo simplicior est veritas, & magis nuda, quo magis gloriæ & maiestati diuinæ conformis, eo certior & aptior ad persuadendum sine dubio.

Facilis quippe conceptus, facilis conciliatio, ut non tam sibi videantur contrariari inuicem ac oppositæ sententiæ, in re ipsa, quam verbis. Imo adeo facilis, ut vel pueri, & qui nondum ære lauantur, breui tempore his imbui queant, minimum rectius formari & firmari.

Hinc partim in *Physiologia Acroamatica*, ut speciatim elementa, perquisiuimus, partim seorsim in Compendio hoc Chimico principia dicta vulgo chimica, ut in illis materia prima, olim obscurius ventilata, in his secunda ad oculum patere queat.

Vale Lector, & si hæc digneris legere, & æquius iudicare sustine. Ita enim aditus patebit, ad ulteriores progressus faciendos, quo nomine & dudum in *Tabulis*

*Chimicis* XV. Synopsin vniuersæ Chimix delineauimus. Dabantur lenæ e museo.

Cal. Augusti MDCCXV.

I. N. I.



I. N. I.

## PRÆFAMEN INTRODUCTORIUM.



Antiquissima est Sapiencia a Deo hominibus gratiose concessa, velut summum in terris bonum, cognitio summi verique numinis, seu Creatoris O. M., & creaturarum, duobus autoribus inprimis, velut interpretibus mediantibus. Initium vero sapientiæ timor Domini.

Primus sapiens & præcipuus fuit, si a primo ævo recesserimus, Vir diuinus, *Moses*, indeque oriunda & propagata *Scriptura Sacra*, animæ saluti vnice consulens; alter, seu idem fuerit cum priori, seu alius, *Hermes*, Trismegistus dictus; indeque in alios deriuata Chimia. Clavis hæc est præcipua ad Maiestatis diuinæ æstimationem, ex regno tricorpore petendam, dignissima quæ cordi habeatur & excolatur.

Coaluit tandem sororio vinculo Chimia cum alma Medicina, post, quam pluribus seculis (antiquissima enim est) sub fabulis seu Philosophia Mythologica latitauit,

A

nec

nec Chemicis Medicinam, nec Medicis primitus Chimi-  
miam amplexis.

Enimvero cum sit ars, per διὰκρίσιν καὶ σύγκρισιν  
(*separationem & unionem*) seu solutionem & coagulationem,  
via sicca & humida, eruendi metalla & medica-  
menta; non potuit non esse dudum commendatissima,  
latissime omnino patens.

Cum imprimis apud Ægyptios culta fuerit, etiam-  
num Hieroglyphica restant signa Chémica. Hinc apud  
Arabes & Græcos, tandem apud Europæos, & Germa-  
nos imprimis inclaruit; distinctionem sortita ex re ipsa,  
obiectis, fine, & operandi modo, in *Metallicam & Me-  
dicam*. Ita enim optimè concipi potest, vt h. l. *Vniuersalem & Particularem* non laudemus.

Vtraque quidem iterum in *Exotericam & Acroama-  
ticam*, & olim & etiamnum hodie dispescitur, seu vulgo  
notam, & selectiorem. Metallica hinc rursus in *Fusoriam*,  
*Docimasticam & Transmutatoriam*; & hanc quidem du-  
plicem, *Sophisticam*, seu *Impositoriam*, siue *Spuriam*, &  
*Veram*.

De singulis certi scripsere Autores: nominatim de  
*Fusoria Lazarus Erkerus, Agricola, Læbneysß*, grossiori-  
bus debita; de *Docimastica Fachsius*, & instar omnium  
*Borrichius*, minoribus debita; de *Transmutatoria Ge-  
ber, Lullius, Arnoldus de Villa noua, Basilius Valentinus*,  
*Paracelsus, Philaletha*, aliique quamplurimi, a *Borello* in  
*Bibliotheca Chémica*, in *Theatro Chémico* non vno, v. g.  
*Basileensi, Argentoratensi, Francofurtensi*, memorati &  
collecti, præter quamplurimos alios.

Chémia vero Medica seorsim ad se nos vocat, in  
*Empiricam & Dogmaticam*, seu *Practicam, & Theoreticam*,  
vel

vel

vel rationalem, merito dirimenda: seu spectata, prout circa principia rerum, secunda saltim; & principiata, seu producta certa (quod cum reliquis classibus habet commune) occupatur.

-III- Dolendum sane, partim ob abusum quendam, vt & superbiam Chemicorum quorundam, partim ob ignorantiam, a Philosophis imprimis, hinc & a Medicis in partes alias tractis, nondum recepta esse æque principia Chimica, quod tamen summo iure merentur.

Non tollunt enim hæc dogmata Peripateticorum, sed elementa supponunt & illustrant, porrigentia veram Naturæ noscendæ clauem, qua sine non nisi cœcutiunt sæpe hanc auersantes. Non tollunt Cartesiana & Mechanica, quin & his facem accendunt, & genuinum figurarum diuersarum fontem, particularum variationem, & causam effectuum naturalium vnice ad oculum sistunt, conciliationem promptissime admittentia.

Commendanda ergo communi studio, vt partitis operis emicent luculentius Naturæ arcana, sed experimentis vnice stabilita, & rationibus vltius firmanda genuinis: quod Medicis conuenit apprime, a quibus id reliqui sibi mutuari, vt merito debent, ita facillime possunt.

Vti enim reuera hodie rudis habetur Medicus, saluo cuiusuis respectu & honore, Chimica non tinctus & probatus scientia, & ἐγχειρήσεων peritia, quippe mirum quantum fraudibus circumueniri aptus; ita fas est insudare huic arti, & manum admouere.

Idque tanto magis, si vsus respicias in vniuersam artem iam transumptos, tam in Physiologia, (corpus humanum enim est artificiosissimum laboratorium) quam

4 PRÆFAMEN INTRODUCTORIUM.  
in Pathologia, quin & Anatome & Botanica ipsa, imo  
Praxi & reliquo toto Artis ambitu. Vbiuis Chimia fi-  
lum Ariadnæum porrigit, & genuina fundamenta lar-  
gitur.

Maxime vero de Praxi laudata id verum est, liqui-  
dem apud Germanos potissimum, hinc & Gallos, An-  
glosque, cœpere medicamenta Chimica esse officinalia, pu-  
blice recepta; sed accuratam requirentia ac fraudis ex-  
pertem manum, & directorem non imperitum.

Quin vna sic didicere Medici, selectis magis &  
*εὐπορίσους* vti: adeoque certius fidere valent, præscriptis  
ex legibus Artis medicamentis, & tantum non arcanis;  
inde &, hyperbolicis phaleris demptis, longe nobiliter  
& feliciter procedit curatio.

Sic vbiuis sobrie & philosophando & operando,  
dum Naturam sequimur & pansam intuemur, manet o-  
mnino laus sua diuinæ huic arti: non obstante Ciniflo-  
num, Empiricorum, Sophistarum & reliqua deuiantium  
turba; quod cum reliquis omnibus artibus habet fatum  
commune.

LIBER PRIMVS,  
DE  
*Theoria Principiorum Chimi-  
corum.*

CAPVT



CAPVT PRIMVM,  
DE

*Fundamentis Principiorum Chimi-  
corum, & separatim SALIS, Clavis & Con-  
dimenti rerum.*

**C**um Chimia centra mixtorum referet, & sic de eo-  
rundem particulis, & vt vocant Cartesiani, particu-  
larum particellis, distinctam suggerat notionem:  
non incongruum, imo summopere consultum est, specialius  
paulo, quamuis summatim solum magis, eiusdem delibare  
principia.

Omnia enim mixta, per concessa ab omnibus, agno-  
scunt duo summa principia, externum puta, quod *Materiae*  
nomine venit, & internum, quod *Formam* vocant. Posito hoc  
optime demonstrant Chimici, materiam aliam esse primam,  
scilicet in compositione, quæ ipsis vltima est in resolutione,  
*Terram & Aquam*, primum solidum & primum humidum,  
illa duo enim præcipue emergunt, vt ignis primum calidum,  
aer primum frigidum.

Ipsa sane elementa, sobrie explicata, cum fundamen-  
tum habeant in re, a Chemicis & sic a nobis quoque suppo-  
nuntur, in primis grossiora. Sine *Terra* enim, ipso *Platone*  
& *Galeno* teste, nihil solidum; quamuis respectiue solum,  
& quoad intentionem artificis, sint vel dicantur passiva &  
inutilia.

Si dicere volumus, quod res est, duplici sede hæc prin-  
cipia habent locum: in Physiologia & Chimia, consultum  
vero nobis visum fuit, hic illa iam locare & lustrare.

Vt vero ordine procedamus, præstat in singulis Funda-  
menta *Generalia*, hinc & *Specialia* quoad *essentiam*, *affectiones*  
& *usum*, lustrare. Hinc cum Sal recepto ordine primum  
teneat locum, notabimus primo Fundamenta principiorum  
Chimicorum, & separatim SALIS, clavis & condimenti rerum,

## I. GENERALIA.

1. Inter extrema, simplicia & mixta, materiam primam & secundam, datur medium: nec natura facit saltum,
2. Principia Chimica, non excludunt elementa, sed illustrant; & mixta constituunt proximius, vt elementa remotius.
3. Principia Chimica hypostatica seu essendi, sensibus non minus obuia, & a priori ac posteriori insunt, ac elementa.
4. Quæcunque in resolutione mixtorum emergunt via sicca & humida, illa inextitere, nec ab igne producuntur absolute; sed separantur.
5. Quæcunque vniformiter & definite producuntur ex omnibus, saltim inter se similibus, & congrua suis mixtis, illa insunt vel inextitere.
6. Sal, & principia Chimica reliqua, respectiue actu insunt, & potentia, si non formaliter, tamen materialiter.
7. Quod elementa sunt *πρώτως* & indefinite magis, id principia Chimica *δευτέρως*, illorum *δυνάμεις* & *ἀκρότητες*, iam olim dictæ.
8. Quicquid in concreto exprimit, & complete magis, proprietates constitutiui principii, illud merito largitur nomen.
9. Principia Chimica, omnibus phænomenis, figuræ & aliis contra, satisfaciunt, ab analogia mechanica dicta.
10. Vt in elementis, ita & in principiiis Chimicis, a potiori fit denominatio, illaque se inuicem varie modificant.
11. Principia Chimica, modo pansa magis & obuia, vel separata, vt in vegetabilibus, animalibus & mineralibus, habenda; modo implicita, & magis vel minus fixa & innexa, vt in metallis,
12. Sal tum ad miscelam, tum qualitates mixtorum, alterationes ac effectus, aliaque, est necessarium; & in singulis regnis datur.

II. Spe-

## II. SPECIALIA.

1.) *Quoad ESSENTIAM.*

Sal est primum sapidum, seu gustabile, solubile acti-  
ue & passue;

Hamatum, hispidum, acre, rigidum, asperum, non  
tam superficialiter, extime, quam centraliter.

Acidum, alcali, enixum seu medium, non solum Al-  
cali, quod fricte & κατ' ἐξοχήν ita audit *Paracelso*, & aliis,  
(quicquid ab incineratione remanet, sal est.)

Fixum & volatile, (in igne) varie modificatum:

In plantis, acidum & alcali, vrinosum & fixum;

In animalibus, vrinosum, volatile;

In mineralibus, acidum magis.

2.) *Quoad*

2.) *Quoad AFFECTIONES.*

Propria est Sali grauitas: cum terra enim pondus largitur, exemplo suberis & ligni querni calcinatorum.

Durabilitas, præterquam volatile liberum.

Incongelabilitas, quando prædominatur, & suo loco puta; in oleo anisi vero congelabilitatem crySTALLINAM iuuat.

Incorruptibilitas, saltim respectiue & secundum quid, quamdiu sibi relictum; alias *ἀλας ἀναλον*, seu *μωρόν*, sal infusum etiam fit.

Destruitur quoad consistentiam, seu soluitur aqua.

Resolui potest in terram, Alcalicum seorsim.

Magnes est humidi aerei, seu aeris & aquæ, ob porositate summam.

Fixum inprimis Alkali, resistit igni, volatile aufugit.

Alkali occulit & soluit sulphur, acorem exstinguit ei-que contrarium est, cum acido efferuescit, & contra.

Acidum obtundit sulphur, figit & ligat, immutatque volatile.

In humido liquabile, deliquium patitur, in arido concrefcit.

3.) *Quoad*

DE FUNDAMENTIS SALIS.

3.) *Quoad VIRES & VSVM.*

Sal est fundamentum coagulationis & compactionis, cum terra & aqua, in mixtis & viventibus, mediatum proximius, exemplo Tartari, qui & hinc salino-terreum concretum actu & potentia notat.

Fundamentum solutionis, vt & fusionis, cum igne.

Fundamentum mutationum in vegetabilibus, præcipue vite v. g. & aliis.

Incidit, attenuat, dissoluit & siccat.

Abstergit, detergit, absorbet, mundificat, *σμητικόν* est, cum & sine sulphure, vt in sapone, (virtutem habet saponariam.)

Aperit, resoluit, penetrat.

Est diureticum, diaphoreticum, lithontripticum.

Euacuat, stimulat, pellit, purgat, cum sulphure modificatum, volatile *άνω*, & fixius *κάτω* magis.

Putredinem arcet, (suo loco) fermentationem procurat. (Acidum, alcali, sulphur successiue resolutum.)

Corrosiuum euadit, adurit, inflamat (partes viuas) externe & interne, viscera ipsa, quo magis sc. aculeatum est & acuminatum, *νέκρωσις* infert.

Acidum refrigerat, est frenum bilis, sitim sedat, figit, spiritus & sanguinem.

Alcali, in primis volatile, calefacit, rarefacit sanguinem, & fluxilem reddit, frenum acidi.

Interpres amicitiae inter sulphur & aquam, aquam & terram; vinculum materiale, mediatum & secundarium.

Contrarium nutritioni & *γλισχεῖν*, eodem tamen oculi solutum, exemplo cornu cerui, opii.

Principium saporum diuersorum, imò omnium, per se & cum aliis, salforum, acidorum, acerborum, austerorum, amarorum.

Coagulat resoluta, resoluit coagulata: illud vniendo cum terreis, vel præcipitando; hoc disiiciendo, attenuando.

Menstruum vniuersale cum aqua: adeoque Clavis est specialis & condimentum rerum, quod erat demonstrandum.

(Hæc omnia sensus testatur, experientia Chimica, ac quotidiana; & rei causæque concordat effectus, & vice versa.)

LIBRI PRIMI CAPVT SECVNDVM,

De Fundamentis SULPHURIS, Sigilli, centri & pacis optima rerum.

I. GENERALIA.

1. Necessum est, dari vinculum aliquod commune omnium rerum, seu mixtorum, quod reliqua illiget ac vniat, firmet & glutinet.
2. Vinculo opus est non solum externo, sed & interno; illo quod cohæsiõnem, hoc quod symbolisum præbet & vnionem. Terra non cohæret, sed disgregatur, sibi relicta: non aqua, sed diffluit.
3. Terra præbet corporaturam, aqua mixturam; cohæsiõnem aliud quid latitans in vtrisque, & sensibus demonstrabile.
4. Illud sine dubio est vinculum corporum, & cohæsiõnis principium, quo destructo, vel laxato & diruto, coalitus & cohæsiõ perit.
5. Non vnum solum principium Chemicum SAL sufficit, sed præter illud omnino etiam seorsim & distinctim ab eo datur SULPHUR.
6. Destruitur sulphur & vinculum rerum, igne actuali & potenciali, seu laxat aqua & menstrua alia, etiam in lignis, longius vectis in aqua.
7. Sulphur principium vniuersale est, & in omnibus datur mixtis, vegetabile, animale, minerale, diuersa facie, consistentiâ, & affectione.
8. Sulphur est principium omnium maxime centrale, medium nomine & re, in reliquis, vt reliqua in ipso, latens & reconditum.
9. Principia Chémica modo prædominium sortiuntur in mixtis, modo subdominium, inter se inuicem vnita, immerfa & implicata.
10. Sulphur in se inflammabile, interstinctum & alteratum principiis aliis, aqua, terra, acido &c. etiam fixum reddi potest, & igni resistens.
11. Concedendum est hospitium feminum: id vero in capsulis generalibus, aqua, terra, aere minus reperitur, igne vero destruitur; sed in sulphure καὶ ἐξοχήν.
12. Sulphur omnium principiorum est nobilissimum, & luminum vitalium autor: quorum tot species, quot res & vitales creatu-

12. ( Helm. l. spir. vit. p. 117. & 160.

II. Spe-

## II. SPECIALIA.

I.) *Quoad ESSENTIAM.*

Sulphur est primum inflammabile, Φλογιστόν: quicquid ardet, sulphur est.

Plicatile, viscidum, cohæsiuum, ramosum, seu vncinosum, γλισχερόν, etiam in vitris, glutinans.

Vnctuosum, oleaginosum, resinofum, rotundum, flexile, pingue, balsamicum. (Vesta.)

Non acidum, non acré, nisi improprie, ἀκρίως, in concreto, & per accidens, non sibi relictum, ab illis potius sic distinctum.

2.) *Quoad AFFECTIONES.*

Sulphur est elementum ignis, eiusdemque alimonia, pabulum, sedes, matrix lucis, internæ & externæ. Seneca epist. 31. sine mixtura lucis nihil splendidum est.

Destruitur & varie immutatur, ab igne extra verso.

Competit ipsi leuitas & læuitas; æqualiter afficit & se habet.

Non miscentur olea cum aquis, ob heterogeneitatem pororum.

Occultatur sale, ipsumque in sinu suo fouet vicissim, & acidum ipsum, in sale volatili pansissimum.

A calore & motu rarefit & expanditur: elasticum materiale, & in fieri.

Minus congelabile, frigori resistens, & ab eo defendens.

Soluitur resinofum oleosis, salibus alcalibus, spirituosus vinosis; non ab acidis, nisi interuentu terræ.

Balsamicum est, & varia fortitur nomina, in vegetabilibus antheræ, resinæ, olei: in animalibus lactis, sanguinis, bilis, chyli; in mineralibus sulphurum, crocorum &c.

Principium colorum radicale, vt sal explicatiuum.

Principium odorum gratorum, fœtidorum, mediatum proximius, expansum.

Principium fusionis in pinguibus, metallicis, terra ipsa & salibus.

Aliud digestum, indigestum, benignum, purum, impurum, alimentosum, medicamentosum, venenosum, anodynum, narcoticum.

Aliud liquidum, cuius basis aqua; in gelatinis v. g. maiori, in oleis minori quantitate, in spirituosus medium.

Aliud solidum, concretum, cuius basis terra; aliud medium.

Aliud fixum, volatile, medium; maxime diffusiuum, exemplo croci.

Sulphur vltimate in aquam, vt salia in terram, resoluitur.

3.) *Quoad*



3.) *Quoad VIRES & VSV M.*

Sulphur est balsamum rerum, calidum vitale & centrale.  
Vinculum rerum, mixtionis, amicitiae, concordiae & con-  
federationis Salis & Mercurii.

Glutinans, oblinens & obturans poros.

Principium nutritionis, alimenti cum aqua materia.

Serenans spiritus, vitae longae remedium, caloris nativi  
pabulum.

Putredini aduersum, eamque arcens, si fuerit integrum &  
praedominans; resolutum vero fermentationi subiectum, & pu-  
tredinem exhibens.

Vegetat, foecundat, poros opplet & ferruminat.

Malleabilitatem & extensibilitatem metallis largitur, quod  
igni, terrae, aquae attribui nequit, exemplo auri καὶ ἐξοχήν.

Edulcat & obtundit acidum, eique est contrarium, modi-  
ficat vero idem, exemplo bilis.

Anodynum est, acrimoniam temperat & asperitatem salium.

Læuigat, emollit, maturat.

Narcoticum est, somnum citans & affectus soporosos (re-  
solutum lymphae.)

Interpres amicitiae inter discordia, acidum & alcali, exem-  
plo spiritus nitri dulcis, spiritus salis ammoniaci dulcis.

Præbet & fouet calorem, per motum formaliter, per pabu-  
lum materialiter.

Efferatum inflammat, & causa fit febrium &c.

Deturpatum mutat odorem, colorem &c. in & extra corpus.

Tingit & principium est tincturarum Chemicarum, & vni-  
uersalis Philosophorum.

Inuiscat etiam, & coagulat suo loco, & inuertit Mercurium,  
vna cum sale, exemplo æthiopsis mineralis, & cinnabaris.

( 14 )  
LIBRI PRIMI CAPVT TERTIVM.

*De Fundamentis MERCVRII, elateris mixtorum, seu rerum*

I. GENERALIA.

1. Dubia & multifaria autorum, h. l. Chemicorum, de Mercurio assertio, non rem ipsam reddit dubiam.
2. A fixo ad volatile per medium itur commode; ab effectu remotiori & mediato, ad proximiorum & immediatum magis.
3. Vt accensum supponit inflammabile, ita euaporatum euaporabile, solutum vel coagulatum solubile.
4. Vt Sal principium materiale solutionis & coagulationis, sulphur accensionis, ita Mercurius motus & euaporationis proximum.
5. Principia Chimica, & Philosophiam seu sapientiam arcanam ac intimiorum rerum, & clauem operationum Chemicarum omnium, exhibent.
6. Maxima est materiae subtilitas, seorsim etiam a reliquis grossioribus, sub nomine Mercurii, considerata.
7. Principia Chimica, v. g. Mercurius, modo obuia sunt, modo profundius immersa, in singulis regnis, & volatile in primis sub reliquis latet.
8. Mercurius reliquis, sali, sulphuri, quasi commune principium, & in sale volatili eminens, latius tamen omnino patet, & sic commune magis.
9. Sulphur accensum abit in sphaeram Mercurii. Salia volatilia a fixis differunt essentia, affectionibus, effectu; fixa pariunt, & ligant volatile.
10. Mercurius velut aeris foetus, monstrat gradus diuersos motus, actiuitatis, communionis, elementorum æque ac principiorum reliquorum.
11. Pro diuerso statu & combinatione principiorum Chemicorum in mixtis, qualitates & effectus diuersi consurgunt & sese exerunt.
12. Affectiones & vires principiorum Chemicorum, alia sunt absolutæ, alia respectiua, communes & propria.

II. SPE.

## II. SPECIALIA.

1.) *Quoad ESSENTIAM.*

Mercurius est primum mobile, agile, euaporabile.

Exhalabile per se, & ab aliis, actiue & passiuè. Quicquid fumat, mercurius est.

Elasticum, aereum, æthereum, expansiuum, æther impensus.

Subtile, tenue, actiuum, καὶ ἐξοχὴν spirituosum, volatile.

2.) *Quoad*

2.) *Quoad AFFECTIONES.*

Mercurius est omnibus communis.

Sub *aqua*, seu phlegmate, ( *aqua* seu liquor, oleum & sal, quibusdam audiunt trium principiorum loco.)

Sub *Sulphure*, seu oleo, sale fixo, vt sale communi, alumine, etiam vsto, &c.

*Acido*, *fluido*, vt aceto, & *concreto*, vt alumine vsto, & *medio*, vt in formicis.

Spiritu vinoso καὶ ἐξοχὴν, & sale volatili.

Leuis, penetrans, inconstans, Proteus varie mutabilis, fluxus, fluidus, non proprio, sed alieno termino contineri aptus.

Corruptibilis, minus durabilis & constans per se, nisi obuiscetur, ligetur, figatur ab oleosis, acidis, terreis, reliquis. Diuisibilis in minimas atomos.

Ex sale & sulphure gignitur, in cuius gremio recubat, igne, fermentatione, putredine euoluendus.

Ab igne propellitur, ab aere auolat & dispergitur.

Figitur sulphure, illigando, vt in cinnabari & auro; ab acido, inuertendo & cogendo.

Alius est volatilis, fixatus, medius: vegetabilis, animalis, mineralis.

Alius spiritalis, alius corporalis magis in metallis & mineralibus, corporum hinc dictus.

Principium ἀναθυμιάσεως, suffimentorum, effluuiorum quorumcunque, miasmatum, contagiorum venereorum, malignorum, pestilentium: odorum proximum, cum sale volatili; rarefactium.

3.) *Quoad*

## 3.) Quoad VIREs &amp; Vsvm.

Mercurius communionem largitur, reliquorum internun-  
cius, *ἡγευξ*, vinculum salis & sulphuris, formæ quasi & materiæ.

Motus director & autor secundus, naturalis, vitalis, ani-  
malis, exemplo conuulsionis tonicæ, clonicæ, improprie dictæ,  
in spasmō *ευνικο*.

Præbet vitam & calorem, anima quasi materialis & magis  
corporea.

Præbet nutritionem, augmentationem, fœcundationem,  
Seminum faber & actuans proximus quasi.

Sensus & motus organum: in animalibus, spiritus anima-  
lis. Vid. Hippocr. aer præbet sensum & motum.

Causa flatuum, ventorum, sonorum, tonitruum, nebula-  
rum, meteororum variorum.

Principium destillationis & sublimationis: quicquid est  
euaporabile, est etiam destillabile, & contra.

Principium fusionis in metallis: quæcunque abundant mer-  
curio, magis sunt fusibilia, vt plumbum &c.

Causa fermentationis, & effectus: in qua partes elasticæ,  
spirituosæ, primum sunt & vltimum.

Reficit (aqua, aer, acidum, spirituosum) restaurat, ve-  
getat, rarefacit sanguinem.

Mouet sudores, & vomitus: cum sulphure & sale præbet  
*ὀργασμὸν* &c.

( 18 )

LIBRI PRIMI, CAPVT QVARTVM

*De Fundamentis SEMINIS, Promptuarii vniuersi.*

I. GENERALIA.

1. Forma dat esse rei, seu essentialis, seu substantialis, adeoque præter materiam, tanquam alterum principium, merito ponendum.
2. Materia nec iuxta elementa, nec principiorum Chemicorum (salis, sulphuris, Mercurii) principiationem, non iuxta Mechanicam, (solam) sed secundum fines seminum, desponsatur.
3. Quæcunque omnibus mixtis & viuentibus largiuntur differentiam specificam, principiorum loco inprimis & κατ' ἐξοχήν habenda.
4. Materia, eiusque principia, magis sunt externa, egentque directore, seu principio interno, eiusque affectis.
5. Quæcunque in se sui primordia continent, vnde creuere & fiunt, habent radicalia intus & seminalia initia.
6. Semina omnibus regnis sunt communia, vegetabilium, animalium, mineralium ac metallorum.
7. Semina gaudent suis capsulis & matrice: vegetabilia & mineralia communi magis, animalia propria. (Elementa sunt capsulæ remotæ, proximiores sal, sulphur, mercurius.)
8. Seminum vis non in sola Mechanica, vel particularum dispositione & locatione consistit, licet eidem insternatur.
9. Seminum imago profluit a suo Creatore, & de eodem accuratissime, aliisque contra, testimonium præbet.
10. Semina constituunt α. δύναμις, β. πνεῦμα & ἰδέαι πολλαὶ καὶ παντοδαπαί. Hipp. l. i. de diæt. c. 5. l. denat. puer. c. 5. Vis & actiuitas, spiritus, ideæ multæ & omnigenæ. (Igneus est illis vigor, & cælestis origo: seminum dispensatores sunt spiritus, spiritus intus agit.)
11. Semina plantarum sunt oua. Materiale magis & dispersum in radice, foliis & ramis, non paucorum vegetabilium diffunditur: particulis etiam diuisis animalium imperfectorum quorundam.
12. Semina prorogantur & propagantur in infinitum, quoad numerum & indiuidua; definita tamen sunt, quoad speciem, in singulis.

II. SPE-

## II. SPECIALIA

I.) *Quoad ESSENTIAM.*

Semen est principium propagationis, vis multiplicandi entia secundum naturam, res apta multiplicari in infinitum.

Spiritus architectonicus, subtilissimum in corporeo receptaculo, sperma, semen, γονή.

Lucula elastica, scintillandi actum producens, astrum vocant etiam Chimici. (Omnis forma est lumen specificum, lumen quoddam sui corporis.)

2.) *Quoad* **AFFECTIONES.**

Semen calido promouetur, blando, vitali. (Sine calore nulum semen in actum deducitur, fotu opus habet.)

Humido egens laxante, alente. (Elementa non sunt matres, sed obstetrices, cunctarum contraria semina rerum.) Ouid. l. 4. fast. sunt duo discordes ignis & vnda Dii.

Ab igne improportionato destruitur. (Nulla ignem admittunt.) Ignis promouet semina ad fines, feminum suscitabulum & destructor; consumit vires feminales, quia destruit humidum.

Semen humido nimio & improportionato suffocatur & putrefit, quædam tamen vliginosa & aquea magis amant loca, vt palustres & aquaticæ plantæ, calamus arom. &c.

Conterendo destruitur, sublata mechanica, positura & apparatus. Alterabile a natura solum, non ab arte; ab hac tamen accidentario, (cum natura.)

Egens matrice, seu loco commodo, quo locetur, a priori; (capsula,) & a posteriori.

Egens tempore opportuno, & sufficienti.

Aliud maturum & perfectum, aliud immaturum & imperfectum. Aliud proprie dictum, & analogice tale, v. g. morborum seminalium.

Aliud filens & latens, potentia proxima tale, actuatum, eublutum, promotum.

Aliud viuientium, vitæ particeps, aliud putredine exfoluendum:

(Vnius corruptio est alterius generatio, cum grano salis intelligendo.)

Gignendo vero capsulæ corrumpuntur, seu destruuntur.

Non in sale residuum; oriundum a *πλεονασμῶ* generantis corporis, & sulphuris matricem amans.

Miscibilia in quibusdam sibi similibus, sed alienæ terminus oræ est. (vt in mulo.)

*ὄργανῶ* fermentifico gaudens, & egens ad euoluendam luculam.

3.) *Quoad*



3.) *Quoad VIRES & VSVM.*

Semen est vitæ rerum nouæ & producendæ proximum elementum: nullum vitale sine semine.

Autor omnis generationis proprie dictæ, cum ex non substantia fit substantia. Vid. Rolf. chim. p. 94. vniuocæ & æquiuocæ.

Autor omnis fœcundationis, conseruationis specierum in vniuerso, item extraordinarie degenerationis.

Director fermentationis, specificæ & individualis.

Virium dotalium faber; semina enim vitalium tincturatum, virtutibus innumeris a natura imprægnata. (vid. Kozack disc. phys. p. 16. )

Habitaculum formæ, & naturæ præcipuum sacrarium.

C

LIBRI

# LIBRI PRIMICAPVT QVINTVM,

De

*Fundamentis FERMENTI, Directorii omnium.*

## I. GENERALIA.

1. Quicquid fit in vniuersa rerum natura, fit per vices & mutationes eidem congruas.
2. Necessum est, dari & concedi aliquod principium omnis mutationis rerum, non tam extrinsecum, quam intrinsecum.
3. Vt omnibus ( mixtis ) est suum semen, ita non minus omnibus est suum fermentum, ( vis immutandi ) seorsim & coniunctim: commune & proprium.
4. Plena omnia sunt mutationum, non tam moraliter, quam physice; & fermentum omnibus regnis est proprium, & specificum.
5. Fermentum tum reliqua omnia specificat ac determinat, tum ipsum semen ideale, quocum symbolizat eximie.
6. Non impulsus aëris vel ignis, non pori diuersimodi, non mechanica vel figura quæcunque sufficit, ad immutationem specificam.
7. Terra & Aqua, non sunt instructa diuersis actu succis vel humoribus separationem desiderantibus, sed indifferenter & passive se gerunt & habent.
8. Non vni soli principio materiali debetur fermentum, vel eodem operatur, non acido speciatim.
9. Omne fermentum est salino-sulphureo-mercuriale, ( in genere ) illisque coniunctim dispositis vel concurrentibus absoluitur, vel vtitur ad extra.
10. Omnis mutatio supponit immutans, nec quicquam potest in chylum (succum) & sanguinem verti, nisi fermento mediante.
11. Fermentum actuans & dirigens principia reliqua, ὄργανον vel supponit vel infert, in viuientibus & mixtis, patentem, latentem.
12. Fermentum semini omni subordinatum, sed non vice versa omne fermentum seminale est ( respectiue ).

## II. SPE-

## II. SPECIALIA

1.) *Quoad ESSENTIAM.*

Fermentum est principium immutationis & transmutationis in genere. Helmontio transmutationum parens, fermentum rerum transmutatiuum.

Largiens differentiam specificam, & suo loco (in ipsis non tantum speciebus, sed & indiuiduis.)

Actuans, dirigens, mutans, sal, sulphur & mercurium, respectu huius & seminis quasi passiva & obsequa; ipsaque elementa, terram, aquam, aërem & ignem: idque in singulis regnis, vegetabilibus, animalibus, mineralibus & metallis.

2.) *Quoad*

2.) *Quoad AFFECTIONES.*

Fermentum est latens in principiis materialibus, velut in filiqua.

Spumescit, ἐκζέει εἰς τὰ ἄνω, verbis Hippocritis: hinc fermentatus panis leuior & porosior.

In animalibus substat calori & spiritui vitali, prædominium suum obtinentibus.

Calor fermenti patronus, sub hyeme etiam ipsa in quibusdam plantis, indicibili ad sensum; seu specifica qualitate.

Humido utitur necessario, quod velut obstetrix est eiusdem, ut actuans salia & reliqua.

Aliud intrinsecum, centrale, formale: (in veget. anim., miner.) aliud extraneum, materiale, ut reliqua concentratum actiuum habentia, v. g. fermentum panificum, feces vini & cereuisiæ, spiritus vini, ἢ ζύμη & ὀξύτης. Hippocr. de diat. l. 2. c. 10. t. 9.

Natiuum, domesticum, blandum, peregrinum: secundum naturam, præter naturam: artificiale, ut chimica.

Vitale, morbosum, febriile, epilepticum, venereum, scorbuticum &c. Amicum, hosticum, toti vel parti.

Vniuersale, varians infinitis modis: specificum, locale.

Putredinosum, immutatum seu degenerans, fracidum (seculentum) pestilens, scorbuticum, malignum.

Acida, dulcia, heterogenea, inæqualia, (τὰ ἀνόμοια σασιὰ,) salina, imprimis volatilia, maxime fermentifica. v. g. acetum maxime fermentificum, vino addito propagatiuum & multiplicatiuum sui.

Viscido lento gaudens, actuatum vero (calore) volatilifatum, expansum, diffusiuum sui.

Promouetur & actuatur ab aëre, (libero) calore, aqua.

Ignis excitat, ignis destruit fermentum, ut in seminibus plantarum; denuo producit, ut in salibus generales aliquot concreti notæ superstant. (Helmont. p. m. iii.)

Ventriculo primario & cordi insidet, luculæ (vitalis) comes & dispensator.

3.) *Quo-*

3.) *Quoad VIRES & VSVM.*

Fermentum est fundamentum ortus, (in germinatione) & destructionis, venenorum v.g. animalium.

Alterationis & nutritionis, generationis ipsius. (adæquate.)

Immutans odorum, fœtorum, saporum & colorum rerum.

Productiuum nouorum entium, destructa quasi priori natura, vel immutata, v.g. chyli, sanguinis, & aliorum, in materiali, spiritus vini.

Visceribus substratum, actioni eorundem organicæ fauet: quot viscera, tot fermenta.

Semina præparat, excitat, actuat, & præcedit, & sequitur.

Semen inchoat fermentum producit. Senectus ex fermenti penuria. Helm. p.m. 161.

Volatilifat, figitque, & in motum ciet, rarefacit, subtilifat, resoluit sulphur, & reliqua disponit, salia ipsa.

Autor contagiorum quorumcunque, vbi fermentum seminale est.

Tingens & alterans generale & speciale, in Lapide, Philosophorum ipso.

LIBRI PRIMI  
CAPVT SEXTVM.

DE

*Chimicorum Principiis Cognoscendi  
& Curandi.*

**Q**UOD si vltcrius delibare velimus principia Chimica, præter assignata I. ESSENDI, seu Constitutiua rerum, vulgo solum assignata; seorsim & differentia illorum sunt notanda accidentales, ratione formæ, subiecti, consistentiæ, motus & actiuitatis, operationis in corpore, διαχείρισίς ipsius, generis, & sic porro.

Quoad COGNOSCENDI II. principia, quæ in analogia macrocosmi cum microcosmo radicantur, vnde (verbis Basilii Valentini) quicquid est in microcosmo, etiam in macrocosmo, & vice versa esse statuitur; sobrie de iisdem est & ex natura rei sentiendum.

Illa enim conuenientia non est grossior, & omnino absolute & simplex, sed analogica & secundum quid: (imo etiam iam dudum ἀνθρώπος ἐστὶ μικρόκοσμος, homo est microcosmus dictus) quod de integros tractatus scripsere Nancelius & Tidicæus: vt nempe innuatur, per experimenta Chimica & Mechanica, naturam rerum, physiologiam & diagnosin esse inuestigandam vel illustrandam, naturam vero vbiuis sibi similem & operatricem.

Hinc vt omnia certo numero, pondere, mensura, structura, proportione &c. gaudent, ita viscerum actiones v. g. cum Mechanica comparatæ melius elucent, vt ventriculus cum retorta tubulata, oculus cum camera obscura, & sic porro: ne de productis chyli, sanguinis, vrinæ ipsius, & pluribus hic agamus.

Seorsim quoque huc referri potest symbolismus astrorum, seu planetarum, metallorum & viscerum: quæ anatomia quasi effata (constitutiua) vt vocant, non parum vtilitatis fœnerauit.

Quor-

DE CHIMICORVM PRINCIPIS COGNOSCENDI ET CVRANDI. 27  
Quorsum & sympathia septem metallorum, ac septem selecto-  
rum lapidum ad planetas, quo de scripsit Petrus Arlensis de  
Scadalupis, referri potest. Vti enim contraria iuxta se posita,  
ita etiam sano sensu non minus similia ac analogica, magis  
elucescunt.

Cauendum vero hic, ne hyperbolice nimis, vel supersti-  
tiose potius, sequamur procedentes, qui circa vniuersalem me-  
dicinam imprimis occupati, ipsius Sacrosanctæ Trinitatis no-  
tionem, & alia ex sacris huc applicant Chimica materialia prin-  
cipia, Sal, Sulphur, & Mercurium, ad immaterialia absurde  
inferentes, ne de locis Sacræ Scripturæ aliis dicamus.

Principium denique III. CVRANDI seu Therapeuticum breui-  
bus tangi meretur, quoad theoriam principiorum Chimicorum,  
canone recepto itidem Basiliæ Valentini & aliorum comprehensam:  
Similia similibus curanda; cum Hippocrates & Galenici, Con-  
traria Contrariis curari, contendant.

Vt ut vero non pauca distinctiones, exque elegantes ad-  
modum rem dirimere possint, ex ipsa tamen Chimia sublimiori  
enatum cum sit axioma, & in Mechanica fundatum, alio pa-  
cto admitti vtrumque non solum potest, sed vel maxime debet.

Secundum hunc canonem enim intelligunt Chimici robo-  
randum esse archeum, seu præsidia naturæ, vt auerruncare  
hosticum morbosum de se possint: cum Natura sit morborum  
reuera, per vtrinque concessa, medicatrix.


Adeoque tantum abest, vt contraria sint sibi hæc duo a-  
xiomata, ita prima fronte visa, Therapeutica, & alterum tol-  
lat alterum ac destruat, vel inuertat; vt potius sint subordina-  
ta sibi, ac iuncta demum in effectu completam absoluant me-  
thodum, vnum eundemque respicientia finem.

Neque enim quæ similia naturæ sunt, similia morbo vel  
eius causæ: neque contraria morbo & causis morbificis, con-  
traria sunt naturæ; quin se inuicem potius stabiliunt. Interim  
vero minus audiendi sunt, qui sola illa Panacea contenti, pur-  
gantia, venæsectionem & alia recepta remedia, Helmontium  
secuti, proscribunt & damnant.

CAPVT SEPTIMVM.

DE

*Productis, seu effectibus & Operationibus Chemicis.*

 Um Chimia versetur non tantum in Theoria, sed & in Praxi quam maxime, sub directore artifice & ministris, mediante igne & menstruo, operationibus certis tanquam generibus absoluta; non parum ad penitiorem notionem facit, illarum & sub his subordinatorum productorum consideratio.

Sunt, qui contenti sola *συνκρίσεως* & *διακρίσεως* differentia, sub iisdem quidem non incongrue locant effectus hosce. Sed cum hæc quasi forma sit vniuersæ Chimix, & communis tantum non omnibus: quandoquidem, dum fit separatio seu disgregatio, *διάκρισις*, vna etiam fit collectio & congregatio, *σύνκρσις* particularum vtilium & inutilium, alia locatione & textura confurgente particularum, videntur minus distincte sic concipi posse operationes hæ, vt genera agendorum, seu productorum adæquata.

Inferuire tamen potest & illa diuisio alio nomine quoque, vt *διάκρισις* applicetur simplicioribus magis, seu præparationi ipsi, *σύνκρσις* vero miscelæ & compositioni vltiori, & quæ inde confurgunt. Siquidem non sola illa, sed & hac vtitur Chimia, & combinatione artificiosa producit noua, seu componit, & egregia quidem medicamenta.

Ex eodem fere fundamento altera diuisio huc referri potest, siquidem & Chimia methodo analytica, & synthetica docetur & traditur: quarum illa a fine ad media procedens, *τὸ ὄτι* & partes compositas magis scrutatur; hæc *τὸ διότι*, a mediis ad finem partes componentes examinans.

Sic



Sic prior illa est Rofinciana, quando aquæ, spiritus, olea & sic porro, traduntur, quoad suam *εγχειρισιν*, quem & nos sequemur. Altera aliorum, qui secundum tria regna procedunt, & quid e singulis producat, edocent. Res tamen eodem fere recidit, facilius vero & practica magis est Analytica.

Consultius fuerit, diuidere operationes hasce, in principes & ministras: illas vocando a forma & modo speciali, quo peraguntur & absoluuntur; has, quæ iisdem varie interuiunt, vt decenter & ex voto seu lege artis perficiantur, & vsu facilius addiscuntur.

Atque sic optime sequimur etiam in hoc principiorum Chimicorum signaturam, vtpote Naturæ vnice conformem, indeque desumptam. Vti enim MERCVRII character hoc modo notat, quæcunque etiam fixa visa euaporabilia esse vel fieri, igni, & quidem ad *συνκρῆσιν* seu capturam clauso, exposita: ita prima statui potest commode operatio Volatilium, sensu latiori dictorum, EVAPORATIO, in atomos attenuatas fluidas & ficas, vnde consurgunt Destillata & Sublimata, recepto loquendi vsu dicta.

Vt SVLPHVR porro, alias inflammabile, ita hoc sensu signat igne fixanda; adeoque secunda operatio essentialis & classica emergit, ACCENSIO, seu igne respectiue aperto tractatio, fixis in effectu magis debita: vrendo, calcinando, accendendo perfecta.

SAL vero media centraliter, æqualiter, separanda signans, SOLUTIONEM & COAGULATIONEM, ceu tertiam operationem constituit. Vnde signa, Sal, Sulphur, Mercurius, sunt non solum signa mineralium, sed & particularum certarum, seu principiorum Chimicorum, imo & Philosophorum seorsim, & denique modi operandi lemmata & debita signacula.

Modus vero consistentiæ, quando in Liquida, Media & Solida fit diuisio, magis hoc loco accidentalis, vel saltim secundario considerandus est: cum singulis operationibus dictis essentialibus substat, & perficiatur.

LIBER SECVNDVS,  
 DE  
*Operatione Chimico-Pharma-  
 ceutica prima,*  
 EVAPORATIONE.  
 CAPVT PRIMVM,  
 DE  
*Destillatione Aquarum,*

**C**um olim decoctione vel infusione contenti fuerint Me-  
 dici, pro apparandis cumprimis vegetabilibus, non  
 crudiori modo assumendis; in locum illarum non tam  
 successit, quam accessit, species decoctionis & infusionis sub-  
 tilior, eaque non conseruatoria, sed separatoria, seu per *Alge-  
 reion* instituta.

Est enim destillatio fluidi, h. l. aquei medicamentosi, per  
 ignem attenuati, euecti vel protrusi, (coctione ipsa variata) ite-  
 rumque excipulis (vase clauso) debitis condensati, prolectio ro-  
 rida: vbi nempe concurrunt 1. euaporatio, 2. vaporis euecti con-  
 densatio, 3. condensati, & vasis clausis collecti, alioquin in auras  
 abituri, guttatim facta destillatio.

MATERIA prima, vt sic loquar, seu destillabile. & subie-  
 ctum primarium ac principale, vtut generale, simul excipiens  
 & menstruum, destillabilis per se, est Aqua; siue communis  
 illa fontana, seu specifica quasi, succus essentialis inexistentis,  
 succus expressus in quibusdam succulentis, alienus & propri-  
 us; adæquate vinum: neque enim cereuisia, in officinis sal-  
 tem, huc quadrat, vnde vel simplices, vel spirituosæ fiunt.

Materia secunda, seu Subiectum speciale, sunt primario  
 &

& frequentius Vegetabilia appropriata, modo quoad radices, (vt scorzonera,) modo quoad herbas (vt maiorana,) modo quoad flores & summitates (vt fl. rosar. summitatum abietis) modo quoad cortices (vt cinnamomi) paulo rarius vero quoad semina.

Quod vero Animalia attinet, & hæc aliquando destillationi subiiciuntur, magis tamen in aquis compositis, quam simplicibus, vt aqua hirundinum cum castorio, aqua caponum &c. Rarius tamen reuera, & citius fere corrumpuntur. Rarissime Mineralia, quamuis, exemplo aluminis & vitrioli, simplicissimam aquam in se contineant quoque.

Neque ipsa Vegetabilia promiscue quadrant pro destillandis inde aquis, sed quæ sunt magis euaporabilia, seu nominatim sale volatili oleoso æthereo prædita, primas inter aquas tenent, vt aqua pulegii, maiorana, cinnamomi &c. vires integras, seu crasin centram, cum sapore & odore genuino, transuehentes super alembicum, nullas vero in capite mortuo post se relinquunt, adeoque longe optimæ, & ætatem ferunt. (volatilia.)

Medium locum tenent, quæ alterutras, seu diuisas magis, seu sulphureas quasdam, seu salinas quasdam, nitrosas, quamuis exiguas, vel non omnes, particulas & consequentur vires possident, vt aqua summit. abietis, ceras. nigr. cichor. chelidon. mai. &c. (media.)

Vltimo loco & non nisi remotius quoad vires huc spectant, quæ particulas saltim fibrosas terreas fixiores, intime conceptas, vi ignis elatas, habent, potiores vero, si non omnes, in fundo relinquunt, vt aqua fol. quercus, tormentilla, bistorta &c. Exiguum quid saltem secum obtinentes (fixa.)

Ex hac vero regula de omnibus ferri iudicium potest & debet, quamuis quædam partem sursum mandent vtilem, partem in fundo relinquunt, alio quasi modo mediæ. Quæ enim non viribus integris sunt euaporabilia, crasi & textura fixiori & magis combinata gaudent, non omnino, vel summe refracta, sunt integra transcendentali virtute destillabilia, vt dulcia, amara, adstringentia, purgantia, somnifera, analeptica,

ipsa

ipsa, aliaque, vnde non nisi improprie & latius tales sunt vel audiunt.

Quandoquidem ergo intentio circa aquarum destillationem est, obtinere liquorem limpidum e plantis v. g. virtute sui simplicis pollentem, magis vel minus; RATIO omnis PROCESSVS in eo consistit, quod ignis agit in humidum, illud rarefacit & propulsat sursum, vel quo porta datur; humidum vero attenuatum & ceteroqui nudum (vti & per se sic destillabile) vires e poris patulis propulsas in se recipiat & exhibeat.

Velificatur huic vnice ignis, tanquam instrumentum præcipuum, ex legibus artis accommodatus vasis. Si non placeat, e recentibus v. g. floribus, sibi ipsis relictis, prolicere rorem domesticum, vel succum expressum abstrahere; radices, herbæ, flores, vel separati & mundati solum, vel concisi etiam & contusi, induntur vesicæ cupreæ, stanno inprimis quoad alembicum obductæ, affunditur aquæ sufficiens quantitas, vacuo relicto superiori ad trium vel quatuor vnciarum latitudinem spatii, ad sufficientem coctionem & rarefacti liquoris expansionem, & cum suo refrigerio, ordinarie per dolium aqua plenum transeunte, adhibitis ignis gradibus, successiue fit destillatio, commissuris probe sibi incumbentibus & lutatis.

Enimuero in genere, perpetua debet obseruari, quod & in aliis omnibus valet, inter agens & patiens proportio: inter vasa & excepta, inter ignem, vasa & destillanda, inter destillata primaria & secundaria, vtilia & inutilia, seu phlegmatica magis. Si enim excesseris in principio, facile præcipiti *ὄργανον* sursum ascendit liquor, & transcendit turbidus vel coloratus, frustra neo labore; vel ipsum etiam proicit in altum alembicum, & dirumpit vincula. Sin in fine ignis vrgeatur fortius, facile infertur *ἐμπύρευμα*.

Vtrumque vt præcaueatur, forte factum est, quod in balneo Mariæ, (vt vocant) seu igne aquæ feruidæ adeoque refractæ, & vasis etiam stanneis (vel vitreis quoque) corollæ strami-

strami-

stramineæ impositis, destillatio aquarum fuerit recepta. At si proportionem laudatam, & ignis sic regimen quoad suos gradus obseruemus, vesica omnibus satisfacere potest, & anteferri.

Noscendum enim hic itidem in genere, quo magis immediatus est ignis, eo fortior, & moderatius sic impellendus: quo liberius aëre admissio gaudet, eo intensior itidem est, & contra. In omnibus vero, qualis est herba, quale ignis regimen, talis & destillatio, quod cautelæ loco esse potest.

Hinc instar regulæ præcipuæ notandum: Est modus in rebus, sunt certi denique fines, (h. l. in destillando, in calcinando, in aliis,) quos ultra citraque nequit consistere rectum, Satius tamen est in defectu peccare, quam in excessu, qui fere est irreparabilis.

Ignem vero arenæ non destillantur facile aquæ, præterquam minori quantitate, & paulo volatiliores, vt aqua cinnamomi cydoniata, fragorum e fructibus &c. Est enim primus gradus v. g. fornacis, vel digestiuus, secundus gradus arenæ, tertius vesicæ, quartus retortæ, igni immediate expositæ, ipseque apertus: quartus hinc iterum, vt reliqui quoque, intensior & remissior dari potest & concipi. Hinc & alia ratione distingui gradus possunt, quoad operationes; vt primus sit digestionis, alter destillationis & sublimationis, tertius calcinatorius, vltimus fusorius.

Facta aliquandiu destillatione, distinctio obseruanda est in aquam primariam & secundariam, in quibusdam etiam (vt spiritibus aromaticorum vinosis, aqua cinnamomi, apoplectica) tertia additur: Prior enim melior est, in his vero media albidula cum priori coniungitur, secundaria, phlegmatica, carens vtpote colore, sapore & viribus.

Quod si vero vasa cuprea minus sint stanno obducta, cuperosæ redduntur aquæ, saltim successu temporis, sapore viroso, & particulis viridibus in liquore conspicuis. Est & in quibusdam seorsim obseruanda singulorum natura: quæ v. g. humidiora sunt, vt acetosa, consaltum est, vt vel teniter deficcantur prius, vel e succo expresso destillentur.

E

Sic

Sic sperma ranarum, nisi resoluatur prius in liquorem, sponte sua, solaque mora, vasis vitreis commissum, certo certius eadem dirumpit. Sic indita odorata heterogeneitatem, & color ipse sic conciliatus in vitio est: facilius enim corrumpuntur.

Rarius paulo circa aquas locum habet *Cohobatio*, rarissime vel nunquam *rectificatio*, spiritibus magis propria. Vti enim, si rite processeris, absoluta est præparatio, per dicta: ita cohobare aquam rosarum v. g. semel iterumque pro lubitu licet, ad impetrandam magis odoratam & concentratam.

Sin specialius quædam EXEMPLA instar aliorum laudare, velimus, v. g. Primo statim suæ, seu per se tales destillabiles, sunt aquæ & fluida alia, vt aqua pluuia, aqua roris Maialis, succus betulæ, succi expressi plantarum, serum lactis caprinum, vnde hodie & saccharum dictum parant &c. Et ad probationem contentorum acidulæ, thermæ, aliaque.

Secundo per se etiam destillantur nonnunquam aquæ citra additamentum aliud, ex recentibus potissimum, experimentandi curiose & vsus gratia: v. g. sedum minus in cucurbita vitrea meram dulcem aquam fundit, licet sit acriuscula planta; flores item rosarum in balneo Mariæ ita tractari possunt.

Tertio in primis vero id valet de *destillatione per descensum*, quæ culinaria est & minoris apparatus, recipiendo mortarium æneum sufficientis quantitatis, vel aliud vas simile grandius paulo, nec porosum æque: obducitur ori lato eiusdem linteamen, & firmatur funiculo, imponuntur flores rosarum, vel sambuci recentes, ad manipulum vnum vel alterum q. s., integuntur orbe chartaceo albo vel bibulo etiam; & desuper catinus ponatur, cuius fundo arena indita sit, prunis instructus. Ita stillat liquor in fundum subditi & tecti vasis, idemque subinde repetitur.

Quarto pertinet huc aqua fragorum, per se parata, vel fructuum aliorum succulentorum, qui tamen & aqua affusa, communiter recte destillantur. Recipe fraga matura q. v. confusa in mortario indantur in cucurbitam vitream, stent per  
vnum

vnum alterumque diem, vbi lenis digestio & fermentatio visitur: destilletur hinc blando igne aqua, ad aphthas infantum, utilis.

Tacemus Quinto aquas roridas mineralium, v. g. aluminis, vitrioli, cuius vsum in primis multum celebrauit *Cnæffelius*. Frequentius vero alter processus in vfu est, quando affusa aqua vel vino quoque, partes selectæ plantarum infunduntur, per diem & noctem macerantur, pro laxandis poris, & hinc destillantur. v. g.

*Aqua Rosarum.*

Recipe florum rosarum, hortensium vel syluestrium, quantum vis, conscindantur vel contendantur grosso modo, & vel citra vllum apparatus statim lege artis destillentur, vel in olla terrea, vel vase stanneo, compacti eo vsque reponantur, & obtegantur, donec vel sufficiens quantitas, vel destillandi commoditas adfuerit, aspergendo pro lubitu etiam sale communi, ad manip. semis vel vnum. Hinc etiam autumnno vel hyeme sufficiens huius quantitas indatur vesicæ, & affusa aqua simplici maiori quantitate, debitis ignis gradibus eliciatur aqua: prima melior separatim aseruanda, altera secundaria, id quod ex odore potissimum colligitur. Hæc ipsa aqua reponi, vel pro re nata, maxime secundaria, super alios flores, similiter, prius contusos, cohobari potest semel vel bis.

*Aqua Cinnamomi.*

Recipe Cinnamomi, morsu electi, libram vnam, concerpatur in frusta grosso modo, quibus affundantur in vesica vini boni mensuræ quatuor vel sex, addita etiam bona parte aquæ, (quæ sola sufficit in aqua cinnam. s.v.) ad exhauriendam melius virtutem, & cauendum empyreuma. Stent infusa per vnum, alterumque diem, pro maceratione, hinc destillatio fiat cum refrigerio: vbi prodit prior aqua albicans, particulis oleosis aromaticis resolutis magis fæta; secundo, hinc cessante albore positiuo, secundaria aquosa, distinctis vasis seruanda: ad vsum roborantem, cephalicum, cordialem, stomachicum, in-

36 L. II. CAP. I. DE DESTILLATIONE AQUARVM  
palpitatione cordis, debilitate virium & spirituum, vomitu, diarrhoeis, cardialgia &c. Idem fere processus est parandi olei, si maiori quantitate fiat. Particulæ enim albidæ oleosæ resolutæ, successiue in fundum subsident. Sin cum essentia myrrhæ miscatur, inde lac cordiale *εὐμβέριον* confortans fit.

Variationis gratia laudari potest,

*Aqua hepaticæ nobilis volatilis.*

Recipe foliorum hepaticæ nobilis recentium, abscessis prius caulibus, bonam quantitatem: repleatur iisdem vesica ad plenum vsque, affundatur aquæ paulo parciore respectiue quantitas, quantum recipere potest; hinc, ne oras affectare & transgredi possit herba, decussatim duobus lignis impositis defendatur. Ita facta l. a. destillatione, non tamen ad empyreuma, habetur ex planta terrea, nec acri sapore vel qualitate prædita, aqua saporis acris, volatilis, quasi instar ari linguam feriens, adeoque particulis acutis salinis admodum foeta, tum alias in mixturis, tum ad animam rhabarbari impendenda.

Vsus itaque nec generalis aquarum spernendus est, nec specialis promiscue omnium & singularum habenda ratio, sed vnaquæque æstimanda est ex sua sphaera. Faciunt enim tum ad menstrua, simpliciores & sic puriores magis, nisi velimus aquam simplicem ipsam recipere; tum ad medicamenta, aliorumque vehicula, interna & externa, ad mucilagines, potiones, emulsiones, epithemata, collyria, &c. seligendæ vbiuis appropriatæ, alterantes, refrigerantes, confortantes, & sic porro, ad dictum modulum apparandæ.

Secundario etiam sine inferuiunt aliis simul, obtinendis in officinis, imo & ad analysin simplicium suorum illustrandam: modo integras vires, modo refractas exhibentes; distinguendæ tamen ab oleis, & aliis. Neque enim compositio hæc, vt addatur v.g. sal proprium, &c. præterquam ad usum extemporaneum, hodie in usu est, vel esse meretur.

LIBRI



( 17 )

LIBRI SECUNDI  
CAPVT SECVNDVM,

DE  
*Destillatione Spirituum Vinosorum.*

**R**atio diuersa destillabilium natura non potest non diuersus effectus oriri, eodem licet operandi, quoad ipsum actum euaporationis, modo. Ut itaque ab affectione hac dicuntur aquæ destillatæ, quod aquam æmulentur, saltim substantia & rorido destillandi modo, a potiori; ita similes illis apparentes colore & consistentia spiritus, differunt tamen viribus magis concentratis actiuis, sapore inprimis, subtilitate, & hinc effectu quoque.

Spiritus vinosi seorsim dicuntur, quod ex vino & huius analogis liquoribus, e frumentis, secali, tritico, hordeo, seu cereuisia & mulla parentur, inebrient & inflammabiles sint, striatim alembicum transeuntes, euaporatione mediante abstractis, & a phlegmate separatis per alembicum partibus subtilibus, sapidis, dulcibus, penetrantibus, & volatilibus, sulphureis, centraliter resolutis. Vnde & Spirituum nomen obtinere.

MATERIAM ergo primam agnoscunt laudatam, vel vinum ipsum & cereuisiam, vinum hordeaceum vel triticeum, vel eorum feces solum, tum per se, tum accessione aliorum roboratas & modificatas, (quæ materiam hinc secundam constituunt.) Vnde spiritus vini proprie dictus, adæquate & frumentaceus, vel iuniperinus quoque, in vsum hunc cedunt; paulo rarius vero mel & saccharum, & dulcia sic, quæ mustum concentratum referunt.

Nimirum sola Vegetabilia hæc, & quasi talia, vsitate spiritus vinosos largiuntur; non animalia, quæ vrinosos magis; nec mineralia, quæ acidos cumprimis & πικρῶς largiuntur; re-

liquis tamen *δευξερως*, & communicatiue, attribuuntur quoque. A priori vero hodie ad plebeios fere abiit spiritus vini, ipsiusque frumentacei præparatio, quæ ipsa tamen artificialis est quam maxime, & Chimix genuina progenies.

Enimuero spiritus vinosi duplici modo parantur in officinis, pro originis primæ & applicationis diuersitate, fermentatione solitaria & coniuncta, & abstractione repetita, quorsum & Rectificatio & Cohobatio eiusdem pertinet: quæ duo si noscantur, optime patere, cognosci & destillari impendique poterunt.

Fermentatio media est inter digestionem, atque huic affinem macerationem, quæ incipit ac maturat; & putrefactionem, quæ finit tandem analysin seu resolutionem mixti, partium puta sulphurearum præcipue.

Cum enim hæ ipsæ, seu sulphur, sit centrum rerum & virtutum: cum sit vinculum mixtionis & confederationis, ipsiusque consistentiæ, interpret amicitia inter duo salia fundamentalia, acidum & alcali, singula communi aquearum & terrearum particularum connubio gaudentia; Hæc ipsamet fundamenta constituunt fermentationis, tum ad hunc actum, tum aliis casibus vsitatæ: quandoquidem ad hanc ipsam præstandam alia proxime, alia remote concurrunt, immediate & mediate.

Immediate scilicet & proxime concurrunt ad motum hunc intestinum, & euolutionem particularum subtilium, mercurialium, spirituosarum, resolutio & attenuatio sulphuris centralis, viscidis, plicatilis & sigillantibus, vt aerescat, rarefiat, spumescat, turgescat, exaltetur, subtilifetur & expandatur, per dicta, centraliter, adeoque h. l. abeat in sphaeram Mercurii, seu spiritus vini sale volatili intime nuptus consurgat, sub aquæ vehiculo.

Mediate & proximius quidem confert salium, acidi & alcali, analysis successiua, quæ duo cum excusso sulphureo amicitia nexu leniter inter se inuicem agere occipiunt, sulphur medium quasi in conflictum hunc abripitur, & nouum ens  
hoc

hoc, spiritum vinosum, parturit, æthere impenso & concluso sic laxato, & elastico actiuo reddito.

Hoc pacto omnia phænomena coniuncta & emergentia magis clarent, & quod acidum ipsum non sit fermentationis vna sola vel proxima causa, sed fileat potius, concurrat tamen, & sit in subdominio, præualente h. l. spiritu vinoso; multo minus ipsum hunc constituat, quia toto cælo differt; pro diuerso tamen sine & hoc (acidum) euectum, loco spiritus vini acetum producit.

Remotius vero concurrunt reliqua, soluendis vinculis & salibus infringendoque sulphuri velificantia, ad apparatus hunc vel necessaria vel commodiora: vt imbibitio humidi, seu infusio & maceratio, (sit enim fermentatio in humido;) tritura, seu particularum confractio, respectiue, & succi expressio, calor lenis externus, frigus enim contrarium est; libertas aeris & spatii, & consequens *ἀερασμός*, bullulascencia.

Contra ea elateris salino-sulphurei expansionem obtundunt pingua, fermentationi minus apta, (vt dulcia aptissima) v. g. oleum, cum primis been, succis expressis superinfusum, obturatio &c. ipsaque simplicia fermentationem non subeunt, & heterogeneitas in dictis consistit, vt fermentatio nihil aliud sit, quam analysis intrinseca, extrinsecus adiuta.

Neque hinc spiritus vinosi cum oleis sunt confundendi, quæ nec miscibilia sunt inuicem per se, seu non se subeunt, ipsæque particule sulphuræ, in olea abituræ, mediante fermentatione maximam partem resoluuntur: adeoque spiritus vinosi, oleo seu sulphuri æthereo attenuato, & sali volatili intime in aquam diditis, debentur principaliter, varie hinc modificando spiritu, qui & ipse instar aquæ generis locum suscipit.

Habetur ergo iam et supponitur quasi a nobis spiritus vini in genere dictus, optimus e vini generosioris fecibus; quem si destillare nihilominus placeat, affusa aqua e vesica cuprea maiori, prius lardo inuncta, lege artis successiuo moderato, igne paratur, & vulgo quidem itidem rectificatus, (*leutern* vocant)

vocant) non vero facile, exceptis certis casibus, præterquam denuo abstractus, in vsum vocandus, Chemicum scilicet.

Expeditur hic spiritus vini tum sui gratia, tum aliorum: est enim gustui gratus, cruditatibus corrigendis, & roborando ventriculo frigido, & alias admodum conueniens. Ast si excedatur, matutino præsertim & largiori vsu, lymphæ inde fit acris, intemperata, spiritus ligantur, & obtunditur acidum, bilis acuitur, vnde appetitus emoritur, lassitudo, tabes, phthisis, hydrops, cachexia, febres inflammatoriæ & alia mala, consurgunt toto die, ipsaque vitæ abbreviatio, & mors.

Conueniunt etiam spiritus vinosi, in essentialibus & communibus affectionibus, quamuis diuerso admodum gradu; differunt propriis: quandoquidem non vno sapore & odore, vires cephalicas, stomachicas, antiscorbuticas, bezoardicas prompte transsumunt. Vna vero menstruum præbet pro essentiis, tincturis, elixiriis, putredini maxime infestus, in & extra corpus.

RATIO PROCESSVS hæc a priori rarior est paulo, nec opus fere est instituere fermentationem pro spiritibus his singularem, seu fecibus vini, seu musto mediante, pro spiritu cochleariæ &c. parando, nisi id in fructibus, vt fragis, baccis sambuci, &c. præstare velimus. Nec opus est vinaceis ipsis hoc sine vti, pro acquirendo spiritu vini, quin vinum vel spiritus vini potius sufficit, & substitui optimo iure potest. Idem dictum esto de saccharo, pro spiritu inflammabili vel vinoso obtinendo.

Quadrant enim eidem cum salia volatilia, tum maxime sale volatili oleoso fæta, & aromatica, cephalica & stomachica: vnde consurgunt spiritus vinosi simplices & compositi, polychrestis, adeoque omni modo commendabiles, vt & communis, & appropriati.

Vti vero in compositis & appropriatis his non opus est reificatione solitaria, cum vno actu destillatio & reificatione, v. g. in spiritu cochleariæ, fiat; minus etiam idem valet ad vsum sanorum, in aquis vitæ, quas vocant, sed communis recipi vtrouique potest, modo sit bonæ notæ; ita pro essentiis extrahendis,

hendis,

hendis, & aliis quidem magis & vnice, non nisi rectificato locus est: quo magis enim dephlegmatus, eo ad extrahendum aptior & potentior.

Hinc ratio rectificationis in separatione partis aquosæ seu phlegmaticæ consistit: hoc vero impetratur vel infusione, vel destillatione. v. gr.

*Spiritus Vini rectificatus alcalinus per infusionem.*

Recipe spiritus vini q. v. v. g. mensuram vnã vel duas, indatur in vitro salis alcali, v. g. tartari, vel potius cinerum clauellatorum libra  $\frac{1}{4}$ , vel semis. Vbi per aliquod tempus steterint, fiet manifesta quædam separatio, parte phlegmatica cum sale intime soluta, saturata in fundo residente, parte vero spirituofiori supernatante. Hæc decantatione facta ad vsus impendi potest varios, tum medicos, tum mechanicos.

Ast cum reuera incompleta sit hæc rectificatio, confirmans tamen simul fundamentum sequentis; præstat

*Spiritus Vini per destillationem, seu abstractionem,  
adeoque*

*Spiritus Vini Tartarisatus.*

Recipe spiritus vini mensuras aliquot, v. g. VI. IX. XII. & cinerum clauellatorum vncias aliquot, lb  $\frac{1}{4}$ .  $\frac{1}{2}$ : destillentur ex vesica cuprea cum refrigerio, affusa etiam aquæ simplicis mensura vna vel altera, ad melius tutandam vesicam, & separandum odorem feculentum, igne successiuo, longe minori quam in aquis destillatis gradu. Spiritus hic vini, odore & sapore non ingrato, imo a sale quasi immutatus sic, menstruum spirituofum vniuersale est, ad soluendum & extrahendum.

Secundarius, post priorem nobiliorem egrediens, seorsim excipitur: quod enim volatilius est, in omni destillatione præcedit. Præstat hic modus aliis variis hinc inde assignatis, siue per serpentinæ, seu cucurbitam altiolem, seu phiolam. Salia

F

enim

enim id faciunt eximie: vnde summe rectificatus & alcoholi-  
fatus audit, qui infusus super puluerem pyrium & deflagrans  
hunc accendit.

Vt vero & nonnullorum aliorum exempla pateant, poly-  
chrestus est spiritus vinosus non vnus: v. g.

*Spiritus Cochlearia.*

Optime confit & vsitatissime, si recipiantur folia Cochleariæ  
recentia, a stipitibus suis & impuritatibus liberata, citra vllam  
contusionem vel fermentationem, q. v. Affundatur spiritus  
vini simplex, non rectificatus, q. s. stent per aliquot dies pro lubi-  
tu, vel commoditate, & pro meliori tabefactione. Hinc per ve-  
ficam, in maiori, cum refrigerio, vel cucurbitam in minori quan-  
titate, fiat lege artis destillatio: separando primarium genero-  
siorem, a secundario phlegmatico; qui super folia recentia, si  
suppetant, cohobari potest, vel nouæ potius destillationi in-  
seruire. Et simplex hic spiritus Cochleariæ sufficit fere, præ-  
ferendus longe spiritui lepidii, & consequenter aliis composi-  
tis spiritibus antiscorbuticis, v. g. addito sedo minori, raphano  
rusticano, nasturtio, radice ari, trifolio fibrino &c.

Prodest instar omnium, tum per se magni vsus in scorbu-  
to frigido, cruditatibus acidis, & affectu hypochondriaco, gra-  
uitate ventriculi, inflationibus, cardialgia, ructibus; potenter  
enim discutit & absumit &c. modo non fiat abusus; tum cum  
aliis in mixturis, & præcipue vt menstruum loco spiritus vini ad  
elixiria v. g. proprietatis, tincturam martis cydoniatam, & ex-  
tractiones alias: externe vero in podagra, maculis & tubercu-  
lis glandosis scorbuticis.

Ex animali regno minus congruus est spiritus lumbrico-  
rum terrestrium, cum spiritu vini abstractus; eminet vero magis

*Spiritus Formicarum.*

Recipe formicarum maiorum viuientium selectarum,  
q. u.

q. v. v. g. mensuram vnam, vel quantum satis, affundatur spiritus vini non rectificatus, bonæ tamen notæ q. f. seu ad eminentiam aliquot digitorum. Destillentur ex cucurbita vitrea cum alem-bico, igne arenæ, in principio inprimis paulo moderatiori, ob turgescentiam fermentificam facilem, ante euaporationem debitam exurgentem in cucurbita: (1.) prior spiritus melior, qui striatim, vt omnes confimiles, prodit, & acido volatili formicarum imprægnatus est & fætus; (2.) ignobilior, parte aquosa acida fixa, minoris momenti, relinquenda in fundo, neque vr-genda hinc propellendo vltra strias, cauendo empyreuma.

Perinde est, si formicæ contusæ vel per se relinquuntur in vi-tro ad destillationes hybernas, vel cum spiritu vini infusæ, pro eo-dem hoc vsu. Vfus est vel internus, paulo rarior, ad essentiam a-phrodisiacam, seu confortatiuam veneris, & memoriæ: inde enim fit spiritus mnemonicus Laurembergii, Anno III. Ephemer. Germ.

Externus vsus frequentior est in affectibus neruorum, arthri-tide vaga scorbutica, podagra &c. miscendo inprimis cum spi-ritu lumbricorum volatili, cornu cerui, eboris & salis ammoniaci, in linimentum neruinum eximia virtutis. Pro illa &c. Conf. alker-mes compl. ʒij. succol. Ind. ʒi. canthar. ʒß. spiritus formicar. q. f.  
Ex compositis laudari meretur

*Spiritus Theriacalis.*

Fieri hic potest tum ex ipsa Theriaca sola, tum, quod de essen-tia inprimis valet, e speciebus ad Theriacam, nondum cum melle mixtis, vel aliis bezoardicis succedaneis; vt e fl. sambuc. & cortic. citr. cum capite mortuo, seu residuo tincturæ Bezoar-dicæ. Recepto tamen vsu fit nobis iuxta processum Paracelsi, a Rolancio Chim. p. 146. quoque & aliis descriptum.

R. ther. Androm. vncias quinque, croci orient. vnciam se-mis, myrrhæ rubræ orient. ver. vncias duas cum semisse, spi-ritus vini rectific., vel potius bezoardici, sambucini, citrati, vn-cias viginti vel q. f. Destillatio fit in igne arenæ, e cu-curbita vitrea, ad mellaginem quasi, non ad siccitatem, multo

minus ad empyreuma. Addenda hinc vel omittenda camphora, ad drachmas duas, cum eandem non omnes ferant.

Cum vero in Theriaca duplicis generis occurrant ingredientia, alia destillabilia, particulis aromaticis volatilibus prædita: alia extrahibilia, fixiora, balsamica, resinosa, quorsum & mel ipsum spectat, indemne ob fermentationem præuiam; optime etiam utroque modo tractatur. Spiritus hinc Theriacalis bezoardicus est Misturæ simplicis ingrediens præcipuum, & cum aqua cinnam. v. g. mixtus lactescens, subpræcipitatis particulis aromaticis aqueis. Ex residuo vero, nullo modo abiiciendo, affuso spiritu vini, vel bezoardico potius, confurgit *essentia Theriacalis balsamica*, præferenda & temperatior longe communi ex Theriaca ipsa, post extractionem decantanda & asseruanda. Vsum enim habet eximium in vomitu, cholera, diarrhœis, dysenteria, hypercatharsi, tussi, phthisi, affectibus hysteris, febribus ardentibus &c. varie miscenda cum tinctura bezoardica, elixirio pectorali, tinctura martis adstringente & anodyna, essentia antimonii, & alis.

*Spiritus Sambuci Citratus,*  
*minoris apparatus.*

Fit e floribus Sambuci, v. g. manipulis octo vd decem, cortic. citri libra vna, spiritus vini q. s. vbi, si ex curcurbita vitrea fiat destillatio, non raro quasi gelatina elegans pellucida concrefcit circa fundum.

Neque carere potest Medicus

*Aqua seu Spiritu Apoplectico,*

In varios extemporaneos vsus, internos & externos, ad apoplexiam, lipothymiam, epilepsiam, debilitatem virium, febres ipsas &c. quales ex floribus lauendulæ & liliorum conuallium, ceu basi, fieri optime queunt.

℞. rad. pæon. maris vnciam vnam; florum spicæ nardi, liliorum conuall. ana manipulos duodecim, cheiri, rosmar. pæon. beton. paralyf. saluæ; herbæ serpilli, chamædr. chamæpit. polii mont. mari veri ana manipulum vnum; cubearum ꝑ̄iß.  
cary-



caryophyllorum aromat. nucis moschat. macis, zinzib. cardam. a. ʒβ. spiritus vini q. s. stent infusa per diem, noctemque vnā alteramque, hinc ex vesica cum refrigeratorio destillentur. Vbi prodit (1.) spiritus limpidus vinosus, (2.) spiritus lacteus aromaticus, in quo vis oleosa aromatica resoluta, miscendus cum priori; (3.) secundaria reliqua, cum aliquot guttis olei quandoque. Miscetur & roboratur commode cum spiritu salis ammon. volat. oleo lauendulæ vero, oleo rutæ vero, essentia castorei &c. Inde sic fit extemplo aqua apoplectica mulierum, cuius loco alias cum aceto fit destillatio.

Aequipollet vero simul

*Balsamo Embryonum,*

Cum aquæ cinnamomi & liliorum conuallium subduplo, pro vsu interno, cum oleis aliis, & per se externe. Quod si hoc seorsim parare velis, fieri potest ad præscriptum Rolfincii, (Ord. & Meth. Medic. Comment. lib. IX. sect. VI. cap. IV. p. 837.) addito rosmarino, ad internum & externum vsum, pro confortando fœtu & grauidis.

*Spiritus Nephriticus*

Describitur in Cynosbatologia Hagendornii. Tacemus alios, quales Rolfincius habet, Carminatiuum &c. Quod vero

*Spiritum ardentem Saturni*

attinet, ex eiusdem saccharo prolectus, & ipse quidem huc referri potest; non tamen tam Saturni est, quam partis vinosæ quasi regeneratæ, prius subiugatæ, ex aceto destillato. Cum enim metallis denegatum sit vt destillari possint, quod accessoriis debetur, frustra illis adscripseris, nec fermentatio vlla spiritum talem ex metallico corpore expromere valet hæctenus.

Recipe sacchari saturni q. v. v. g. vncias sex: destilletur ex retortula vitrea, citra vllum aliquod additamentum, spiritus vinosus & reuera inflammabilis, ab igne accendi aptus, quamuis exiguæ quantitatis, nec ob immutationem illam aceti, spiritus vini purum odorem & saporem exprimens. Facta perfecta destillatione, caput mortuum nigricans, cum particulis plumbi regenerati, obtinetur.

LIBRI SECVNDI

CAPVT TERTIVM,

DE

*Spiritibus Vrinosis.*

**C**irca spirituum cumprimis, hinc & aliorum, notionem, commodus est ad exprimendam eorum genesin & fundamenta, terminus Fluoris. Concipi enim possunt h. l. v. g. spiritus vinosi nihil aliud esse, quam sulphur, & vrinosi, quam sal volatile fluorem adeptum, vt in sequentibus id etiam de acidis dicemus.

Per fluorem adeptum vero intelligitur (1.) late substanti-  
fice expansum, quod in quibusdam iam ante destillationem fit  
quoque, vt in vino, & aceto (2.) strictius euaporatum, & euectum,  
exaltatum, euaporatione propulsum ac vnitum, & separatum a  
reliquis; & quidem in presentis casu (3.) fluidum, vehiculo aquæ  
in subdominio magis vel minus concentratum.

Sic spiritus vrinosi, in quibusdam dudum iam vulgatum,  
in aliis (vt spiritus & sal volatile plantarum) recentius paulo in-  
uentum; respectu reliquorum, inter spiritus vinosos & aci-  
dos, medium locum tenent.

Fundamentum enim horum consistit in sale volatili te-  
nuato, cum sulphure pansissimo & subtilissimo, beneficio a-  
quei vehiculi resoluti, & per destillationem igne euaporato  
ac euecto. Debentur alcali volatili, alteri columnæ salium,  
in mixtis; quod sibi relictum scilicet laxatumque prompte  
auolat, mediantibus aeris & ignis alis.

Considerari hinc potest, (1) vt *silens* & ligatum, capti-  
uatum, subiugatum, fixatum vel quasi; detentum scilicet vel  
particulis plicatilibus viscidis sulphureis, irrefitum ac sepultum,  
vt in cranio humano, cornu cerui, ossibus animalium, ebore:  
vel acidis, vt in sale communi, alumine, etiam vsto, sale am-  
moniac

moniaco, vrina ipsa, non tantum hominis, sed & omnium  
brutorum: adæquate vero & terreis, vt in oculis & chelis can-  
crorum, lentibus etiam, & aliis.

(2.) Vt *liberatum*, destructo & laxato vinculo, siue si-  
mul & semel vno destillationis actu, seu seorsim & præuio a-  
lio, vt ignis accessione auolans suis vasis capi & obtineri queat,  
in quibusdam actu, forma salis, si aqua denegetur, in aliis,  
ob subtilitatem micularum, non nisi aquea hac sua velut veste.

Hinc in genere quæcunque ligantia & irretientia vincula,  
respectiue sulphur & acidum, laxant, debilitant & destruunt,  
illa sal volatile liberant, & in apicum sistunt, mediate vel im-  
mediate, idque vel via humida, vel sicca. In specie vero

Primo, vbicumque sal volatile sulphuri, aquæ & terræ, vel  
acido &c. laxius paulo irretitum est, vt ignis vincula illa de-  
struere possit, ex iis sal volatile liquidum, seu spiritus vrinofus,  
per se haberi potest, solo igne, sine additamento: exemplo  
spiritus vrinofi herbæ cochleariæ, florum liliorum conuall. exsic-  
catorum, seminis rutæ, &c. sanguinis hirci exsiccati, cranii  
humani, cornu cerui, lumbricorum exsicicatorum, fuliginis  
&c. Ignis enim destruit sulphur ligans, vt forma olei fœtidi  
simul appareat, idque cum primis e siccis.

Secundo, vinculo salis volatilis prompte etiam laxato per  
*putrefactionem*, spiritum vrinofum largiuntur, quæ illum prius  
occulebant. Vti enim priori casu gelatina, seu sulphuris te-  
naculum in oleum abit, ita debilitato & resoluto hoc pacto eo-  
dem, vis ignis in propellendo & separando est integra. Enim-  
vero & putrefactio intime & centraliter sulphur destruit, idque  
via humida potissimum, quamuis odor & *negans* sic specifica  
deperdatur vel alteretur, exemplo lumbricorum terrestrium, &  
gelatinæ cornu cerui, mediante putrilagine resolutæ.

Pertinet huc Tertio etiam via media, seu fermentatio sicca,  
quando, exemplo glasti, facta contusione conglobantur folia re-  
centia, exsiccantur, & hinc cumulate seu cateruatim sibi inui-  
cem superimponuntur: vnde a dirutis sulphuris vinculis, sal  
acidum sui iuris factum agit in alcali, idque propellit; quo  
pacto

paſto ſine igne & ſine additamento, quod paradoxon imo abſurdum videri queat, habetur ſpontanea deſtillatione ſal volatile, ſeu ſpiritus vrinofus.

Quarto, quodocunque ſal volatile detinetur ab acido ſubiugabili & inuertendo, ita quidem vt inibi emineat, ſpiritus vrinofi obtinentur additione alcalium. Hæc enim iugum illius excutiunt, & ſic ſal vrinofum volatile liberatum exhibent, v.g. calx viua, cineres clauellati, ſal tartari & alia, exemplo ſpiritus vrinæ, ſalis ammoniaci, formicarum: non tamen ſine differentia aliqua.

Quinto, ipſa etiam ſalia alcalia fixa, oleis æthereis addita, ſal volatile parturiunt. Enimuero in oleis hiſce, v.g. cinnamomi, omnino ſal volatile, ſed oleoſum, ſeu cum ſulphure vna coniuñctum, præſto eſt: Vnde e ſulphuris pedicis extricatum ſic obtineri poteſt, ſed longo & tædioſo magis proceſſu, qui Helmontianus eſt.

Imo idem Sexto fit quoque additione ipſius acidi, obtundentis & eneruantis partim ſulphur: quo artificio ex ſpiritu vini ipſo, mediante ſpiritus nitri additione, haberi poteſt ſal volatile; partim fixantis ſal volatile & vna liberantis, vt ex oleo vitrioli in ceram redactò, addito hinc alcali; vid. Barnerus Sed hæc curioſa magis ſunt, quam vſitata, vel recepta, vt modos alios taceamus. Vnde conſurgunt vel ſalia volatilia, eaque ſubtilia & fugacia, nec in forma ficca per ſe facile aſſeruanda; vel ſpiritus vrinofi potius, cum, ob teneritudinem laudatam, vix conſiſtentia ficca haberi poſſint.

Quod vero attinet Sal Volatile Tartari, id e ſale fixo eiusdem difficulter obtineri poteſt. Si enim more Rhumelii & Ludouici ſal Tartari cum alumine vſto, vel alumen quoque cum Tartaro crudo deſtillando paretur, videtur id vrinofum alumini maximam partem deberi: quamuis & ille ſpiritus vrinofus non ſit minimi momenti; quorum exempla ordine videbimus.

*Spi-*

*Spiritus Cochlearia & Liliorum conuall.*  
*vrinosus volatilis, via humida.*

℞. foliorum cochleariæ recentium, a caulibus & impuritatibus suis separatorum; vel florum liliorum conuallium rec. q. v. Repleatur iisdem retorta vitrea ad collum vsque, siquidem subsident pedetentim & concidunt. Stent per aliquod tempus, vel hebdomadem vnā alteramque, quousque sponte sua facessant in tabum vel putrilaginem; obturato probe orificio, ne muscæ irrepant. Hinc destilletur l. a. ex arena, cum suo recipiente, spiritus vrinosus phlegmati immerfus, & pro lubitu rectificandus, saporis specifici non omnino expers, asseruandus in vsum plantæ viribus & sali volatili conformem, respectiue antiscorbuticum, antepilepticum. Vid. tr. de sale volat. plant. in præfat.

*Spiritus florum liliorum conuallium, ruta, cochlearia,*  
*lentium vrinosus, via sicca.*

℞. feminis rutæ libram semis, vel vnā, reliquorum exsiccatorem quantum vis. Indantur retortæ vitreæ, & destilletur e quouis, igne arenæ successiuo, in recipientis proportionatum, per se, spiritus sale volatili ebrius, cuius particule etiam sensim parietibus recipientis se affigunt; & oleum empyreumaticum, itidem sale volatili plurimo foetum, separandum a spiritu, rectificando pro re nata. Spiritus respectiue est bezoardicus, antepilepticus, vterinus, ad guttas xx. xxv.

*Spiritus Fuliginis.*

℞. fuliginis splendentis & compactæ v. g. libram vnā, duas, tres: propellatur ex retorta vitrea, igne arenæ itidem per gradus, spiritus nebulosus & vrinosus volatilis, haustulis elegantissimis conspicuus, coloris aurei, sed si rectificetur,

G

magis

magis limpidi: proficius in pleuritide, casu ab alto, aliisque casibus, ipsa imprimis sterilitate, & vbi volatilibus rarefactiuis opus est. Ex capite mortuo per elixiuuationem extrahi potest sal, quo de vid. Hartmannus in Praxi Chimiatica.

*Spiritus Glaſti.*

Cum in glaſti globulis perfectis sal volatile sit apertum, panſumque, vt quod ſponte & motu proprio non exhalauit & propulſum eſt, igne mediante propelli queat facile: hinc non ſolum pro vſu domeſtico impenditur glaſtum ipſum præp. a vulgo in gargarismatibus, in angina, & faucium ardore conſimili; ſed etiam ſpiritus vrinoſus, pro vſibus antiſcorbuticis aliisque, inde haberi poteſt.

℞. glaſti præparati v. g. libram vnã, vel ſeminis eiusdem tantundem, vel libram ſemis. Deſtilletur ex retorta vitrea l. a. ſpiritus vrinoſus cum oleo, qui ſpiritus admodum ſubtilis eſt, ob ſal volatile tenerius. Ex capite mortuo rite calcinato elixiuuando haberi poteſt ſulphur auratum antimonii æmulum, præcipitandum cum aceto deſtillato, & edulcandum,

*Spiritus Salis Tartari volatilis  
aluminofus.*

Cum Sal Tartari volatile Helmontio & aliis hodie maxime ſit decantatum, ſeoriſim in cenſum venit præ aliis. Certum vero eſt, per ſe e Sale Tartari, ſeu crebra aquæ, vel ſpiritus vini, cohobatione, ſeu additione boli, cinerum aliorumque terreorum, minus ſuccedere proceſſum exoptatum.

Ratum itaque & receptum magis eſt, vt vel in ſpiritu Salis Tartari volatili aluminofe laudato acquieſcamus, vel alium magis genuinum per fermentationem ex tartaro ipſo, vel additis venemur. Spiritus Salis Tartari aluminofus laudatus hic eſt:

℞. aluminis vſti, Salis Tartari, etiam minus albicantis,  
vel

vel depurati a. q. v. v. g. libram semis: præstat etiam, ad maiorem prouentum, sal esse humidiusculum. Mixta indantur, retortæ vitreæ, & igne arenæ destillentur l. a. ad siccitatem omnimodam, in recipiens capaciùs. Ita acquiritur spiritus urinosus egregius, leuibus etiam hastulis parieti recipientis se affigentibus, filtrandus hinc & asseruandus.

Vtut enim debeat, per dicta, si non vnice, maximam tamen partem, salis vrinæ, partim alumini prius parando affusæ, partim domestico eidem, ab acido eiusdem constrictiuo quasi fixato; satis tamen insignis est, aperitiuus, diureticus, antiarthriticus, in affectu hypochondriaco, hydrope, vitiis vrinæ, ac feri coagulis aliis, tartarum per debitas vias expediens, quo de vid. Ludou. tr. de sale Tartar. vol.

Dari potest per se, ad guttas x. xx. xxx. tum commiscendus aliis, v. g. cum anima rhabarbari, vt & spiritus salis ammon. ipse. Eodem ipso etiam vti possumus pro infringendo spiritu salis, vt exin, accedente tinctura a sandalo rubro, vel torna solis potius, acquiratur tinctura aperitiua Mœbii. Hæc enim nihil aliud est, quam spiritus salis refractus alcalicis, accedente tinctura extranea indemni, ad guttas v. vj. x. xij. in variis hypochondriorum affectibus, inprimis calidis.

*Spiritus Salis tartari volatilis urinosus per fermentationem.*

De altero vero modo per fermentationem, videri potest partim Langelottus, epistola peculiari, ex tartaro eiusque sale f. q. per V. VI. septimanas in vase querno loco calido reposito & confermentato; partim Thile disput. de Sale Tartari volatili. Vti enim certum est, tartarum pollere tali sale volatili, reliquis immerso particulis acido-alcalicis oleosis, & ex ipsis fecibus vini exsiccatis hoc omnino destillari & obtineri posse; (modo non vermiculi bonam partem de suo conferant) ita via humida nostro more id fit commode:

℞. Tartari crudi puluerisati, Salis eiusdem v. g. a. libram vnam, fecum vini mensuram j. ij. vel iij. Mixta stent, per aliquod tempus, ad reclusionem & fermentationem, hinc destilletur spiritus urinosus.

*Spiritus Lumbricorum terrestrium  
volatilis.*

Triplici modo spiritus vrinofus ex lumbricis terrestribus parari potest: 1. cum cineribus, vel per se quasi.

℞. lumbricorum terrestrium viuorum libram vnam, duas, vel q. v. Inditis retortæ vitreæ ultra dimidium circiter superingerantur cineres cribellati q. s. ad collum fere vsque, ita vt probe integantur: hinc ex igne arenæ successiue propellatur spiritus, in quo quidem sal volatile paulo est diffusius, vnde pro lubitu ex cucurbita rectificari potest. Subsequitur in fine oleum fœtidum.

2. per fermentationem, seu putrefactionem potius.

℞. lumbricos viuos q. v. locentur in cucurbita, eo vsque relinquendo, tecto vase, donec in tabum seu putrilaginem sponte sua resoluantur. Propellatur hinc seu destilletur per alembicum spiritus vrinofus, ab oleo fœtido separandus per filtrum, & pro lubitu rectificandus. Ast hic ipse spiritus, ob fœtorem grauiorem reliquis facile cedit, valde admodum ingratus. Optimus est

3. itidem per se, sed via sicca factus.

℞. lumbricos, ablutos, mundatos & exsiccatos q. v. Propellatur inde l. a. spiritus vrinofus volatilis, pro vsu cum reliquis communi, interno & externo. Prodest enim interius in hydrope, arthritide vaga scorbutica, paresi a colica, quamuis paulo rarius; exterius in iisdem, contracturis, & inprimis doloribus articulorum: seu solus & per se, seu cum spiritibus neruinis alijs, salis ammoniaci, cochleariæ, formicarum, cornu cerui &c. in linimentum neruinum remixtus.

*Spiritus Formicarum volatilis.*

Penetrantissimus est spiritus vrinofus volatilis Formicarum.

℞. formicas viuas recentes maiores syluaticas, contundantur



DE SPIRITIBVS VRINOSIS.

53

dantur in mortario, indantur retortæ vitreæ, & desuper immittatur calx viua, vel misceatur potius statim ana, vel dupla circiter quantitate, hinc destilletur l. a. spiritus, in affectibus soporosis præ aliis expetitus.

*Spiritus Cornu Cerui.*

Fit & via sicca communiter, & humida per putrefactionem.

℞. cornu cerui in frusta maiora diuisi, longitudine trium vel quatuor digitorum, v. g. libras quatuor, sex, decem: indantur retortæ terreæ, & igne aperto, seu immediato, sed moderatiori, in recipiens capacius propellatur successiue spiritus urinosus, sal volatile, & oleum fœtidum, donec nebulis cessantibus & guttulis, perfecta destillatio innuatur. Spiritus ab oleo separatus, seu per tritorium saltim, seu per filtrum, cum sale volatili (aqua simplici vel spiritu vini etiam elutriando) rectificatur vel per se ex alembico, vel a cineribus: vt particulæ oleosæ melius combinentur, & retineantur a cineribus, salinæ vero promptius euolent, & destillentur.

Prodest in affectibus capitis, vteri, & in primis febribus malignis, vt bezoardicum volatile expulsiuum, & penetrantissimum sudoriferum; in respiratione difficili, febrili, anxietate, variolis, morbillis, petechiis cessantibus, tardantibus, vel retrocedentibus, liuidis, pallentibus, &c. peste item & bubonibus, imo febribus intermittentibus ipsis, vbi volatilia oleosaque cum fixis (v. g. china de China) sunt, miscenda. Cum cautela tamen id valet, ne sanguinis rarefactio nimia, nec hæmorrhagia narium, fluxus mensium &c. obstant: dandus ad guttas x. xx. & amplius. Habet vero & vsum externum, arthriticum, neruinum, per se solus & cum aliis neruinis dictis.

Oleum est hystericum egregium, cum essentia castorei, asa fœt. spiritu salis ammoniaci &c. Pro lubitu vero cum spiritu vini etiam exinde destillari potest spiritus vinosus, qui leni calori expositus rubellum colorem seu tincturam adsciscit.

Ex capite mortuo, igne figulino aperto cremato sulphure em-

G 3

pyreu-

pyreumatico nigro ad albedinem, fit cornu cerui vstum, vtu febrifugo, fixiori, sudorifero, anthelmintico &c. notum, cum vel sine aquis præcordialibus præparatum. Ossa aliorum animalium substituunt quidam, sed minus recte.

*Spiritus Cornu Cerui albus,  
per putrefactionem.*

Memorabilis vero est & spiritus cornu cerui albus, isque minus empyreumaticus, præuia putrefactione impetrandus, & secundario quasi ex gelatina prius parata, vel potius capite mortuo gelatinoso, a præparatione C. C. Philosophici residuo: recipiendo hoc sufficienti quantitate, & sibi relinquendo per aliquot hebdomadas in olla bene tecta, hinc destillando per se vel additis cineribus (ad melius disiiciendum sulphur) via humida, miculis salinis intime confictis & eminentibus satis, oleosis vero alteratis & expansis, cæteroqui nullius vsus. (Vid. latius Tob. Vogelius lib. de cutis affect. p. 582.)

*Spiritus Eboris, Serpentum, Viperarum, Sanguinis hirci, millepedum, Oculorum cancrorum, &c.*

Eadem plane ratio est reliquorum huius commatis, seu similia. Sic ℞. rasuræ eboris tornatici libram vnam, duas, tres: destilletur, ex retorta vitrea igne arenæ, itidem spiritus, oleum, & sal volat. copiosum. Delicatiores est fere hic spiritus eboris præ cornu cerui, & forma hinc liquida, sine vel cum rectificatione, (vbi sal volatile cum spiritu vnitur, accessoria elutriatione humidi aquei vel spirituosi) asseruatur vterque commodius fere & dispensatur, vbi sudatione vel bezoardico volatili opus est in dictis casibus. In rectificatione vero pars prior horum spirituum quoque seorsim asseruanda, postrema aquosa reiiicula. Ex capite mortuo fit eodem pacto spodium, seu ebur vstum noti vsus, alias ad colorem nigrum quoque.

Idem puta de reliquis. ℞. v. g. serpentum vel viperarum  
ex-

exficcatarum q. v. vt libræ quartam partem, vel amplius. Concerptæ in frustula maiora, indantur retortæ vitreæ, indeque ex arena proliciatur spiritus vrinosus volatilis, sal volatile, & oleum fœtidum, eodem modo per omnia procedendo. Efficacior est fere reliquis, & innouandi virtute conspicuus, vt & ad fermenta febrilia, in febribus intermittentibus tertianis & quartanis, expugnanda.

*Spiritus Salis Ammoniaci.*

Licet duplex quasi e Sale Ammoniaco peti & destillari possit spiritus, (1.) acidus ratione salis communis, tum alia ratione, (quo de vid. Polemann. lib. de sulph. Philos.) tum ex capite mortuo spiritus salis ammoniaci vrinosi, si quis in eo occupari velit, quod tamen fere est superfluum nec æque vsitatum, cum tripla proportione boli, quod spiritus salis substitui possit rectius & commodius. (2.) vrinosus, ratione salis volatilis vrinæ, quæ elementa sunt eiusdem. Attamen κατ' ἐξοχὴν spiritus salis Ammoniaci dicitur & in vsu est posterior, hic volatilis, qui fit additione alcalicorum quorumuis, via sicca, vt cum cineribus, & maxime humida cum aqua simplici; quæ ipsa etiam priori casu affundi potest vel debet ad sufficientem solutionem, & filtrari. Illa enim vinculum soluant, & sal volatile ab acidi iugo liberant.

℞. Salis ammoniaci, natiui vel artificialis, partem vnam v. g. libram semis, calcis viuæ vel cinerum clauellatorum partes duas, quæ sufficiunt omnino, vel tres quoque, (quo tamen fere non opus.) Puluerisata seorsim misceantur in mortario, indantur cucurbitæ vitreæ in arenam locatæ, affusa modeste aqua simplici q. s. paulo largiori tamen, v. g. ad mensuras duas vel tres: Destilletur hinc l. a. spiritus penetrantissimus, primarius & secundarius, distinctim auferendus & asseruandus; qui proficuum in quibusuis capitis, cordis & vteri affectibus, vbi volatilibus opus est, in febribus quartanis, epilepsia, apoplexia, lethargo, catalepsi, paralyfi, suffocatione vteri, ad guttas quin-

quin-

quinque, sex, octo, decem, per se, in liquore cephalico, e spiritus salis ammoniaci parte vna, aquæ liliorum conuallium partibus duabus, & aliis. Figit acorem omnem, ciet vrinas, poros cerebri referat, mouet menses &c. exterius etiam in affectibus soporosis, lipothymiis, doloribus articulorum, &c, probatæ virtutis.

Idem est cum spiritu vrinæ, vnde & hoc carere possumus, vel si parandus, vel præuia putrefactione, vel potius iisdem additamentis, nominatim calcis viuæ, fieri potest, prius euaporatione phlegmatis superflui facta. Consultius vero prior substituitur, & potior est. Sin ad Phosphorum requiratur, cuius vestigia iam apud Paracelsum extant, inspissata maiori quantitate, hinc reliqua cum arena, vel capite mortuo aquæ fortis, fortissimo igne propellitur in aquam recipienti inditam.

Ex capite mortuo spiritus salis ammon. in primis cum sale Tartari vel calce viua parati, per elixiuationem acquiritur sal polychrestum, nonnullorum digestiuum, febrile, nephriticum, ad ignem liquefcens, ad grana tria, quatuor, & plura dandum, sed nauseabundum paulo, & minus receptum communiter.

Tacemus, e spiritu salis vel vitrioli Philosophico quoque cum calce viua combinato, consurgere spiritum vrinosum, facta consimili aliis dictis immutatione, & salis volatilis liberatione. Instar omnium esse possunt, spiritus salis ammoniaci, & spiritus cornu cerui: (vel eboris) ille pure vrinosus, hic & huius similes particulis oleosis attenuatis simul gaudentes. Licet enim vtrique, seu omnes potius, cum acido efferuescant, & in aliud ens mutantur, non tamen effectus omnium est idem, quod mechanice patet, si v.g. cum rob iuniperi misceantur.

Nec occupabimur in eo experimento, quod spiritu vini re-ctificatissimo affuso vel spiritus vrinæ, vel spiritus salis ammoniaci (cum cineribus clauellatis vel sale Tartari paratus) in offam albam coaguletur, ob phlegmatis soluentis defectum, adeoque inæqualem coitionem, & quasi præcipationem.

LIBRI SECVNDI

CAPVT QVARTVM,

DE

*Spiritibus Acidis.*

**T**ertiam classem Spirituum, alteram vero Salium constituunt Acida, mediante euaporatione & rarefactione specifica fluorem & volatilitatem adepta, sub phlegmatis diffusioris, vel minus magisue concentrati vehiculo conspicua. Hi itidem latissime patent, e singulis regnis, parcius tamen ex animali, exemplo formicarum & mellis, frequentissime ex minerali, parari consueti.

Variant a priori, & a posteriori: Hinc prodeunt quoad saporem ex acidis, non minus ac ex dulcibus, quoad consistentiam e liquidis, e mollibus & solidis, vbiuis igne *distillationis* particularum reliquarum, & acidis fluorem volatilem *fœnerante*.

Prout enim id ipsum acidum aqueis, sulphureis & terreis, diuersimode interstinctum, diffusum & occultatum est particulis; ita etiam diuersus parandi & prodeundi modus, diuersus item gradus saporis, virtutum, volatilitatis, aliarumque circumstantiarum obseruatur.

Quæcunque hinc (i.) acidum fluorem iam indepta sunt in liquido, & supra sulphur dulce depressum præminens, spiritum suum acidum fundunt per se, sola abstractione indiga, exemplo aceti destillati, e vino, & spirituum acidorum phlegmaticorum.

Et opus tamen habent hæc quoque destillatione, vel hac ipsa aliam faciem, robur & prærogatiuam fortiuntur. Enimuero licet acetum simplex ipso destillato fortiorem obtineat saporem, & ad solutiones etiam adhiberi queat, ac

H

præ-

præcipitationes; habet tamen secum plurimas partes terreas, non minus ac sulphureas, (ne de aqueis dicamus, superfluis in aliis,) vnde reuera heterogeneum est, & in elementa sua sic dirimi, ac acidum magis nudum, simplex, ac suum obtineri potest.

Cum vero distincta sint aquea & acida, seu phlegma potius & spiritus h. l. neque illa, nisi proportionatim, fluorem debitum comitari debeant, cum aqua, si excedat, impediatur spirituum prouentum: curandum est, vt & acidum suppetat in liquido satis, & bonæ notæ v. g. sit acetum, & ipsa sic separari a se inuicem expetunt.

Hinc (2.) quæcunque plurimo phlegmate pollent, eiusdem abactionem vel antecedaneam, vel simultaneam, vel consequentem exposcunt. Sic vitriolum & alumen prius calcinantur, ad phlegmatis hanc absorptionem, ne quid tamen nimis: neque enim prius rarefieri & fluorem indipisci queunt, quam hoc difflatum fuerit; & sic aptantur fluori. Tantum vero obtinueris spiritus, quantum accedit vel adest aquæ.

Quæcunque (3.) acidum habent in sicco, seu concretum magis, terrea vel quasi, & solida, illa itidem per se, destillationi exposita, spiritum acidum largiuntur, nec opus habent vilo additamento extraneo, seu terreo, seu aqueo: quæ vtraque nempe velificantur spiritibus acidis apprimè, exemplo tartari, ligni sancti, viridis æris crystallini, & aliorum.

Quæcunque vero (4.) acidum habent secum, sed minori terræ quantitate pollent, vel sicca, vt salia, sal commune, nitrum, vel fluida quasi & mollia iam sunt, & igni exposita, non minus ac illa, funduntur & liquantur, vt mel & manna, spiritum acidum suum non dimittunt, vt fluorem centralem patiat, nisi additione terræ: qua addita, v. g. bolo, & quidem tripla proportione, rarefieri demum fusione prohibita possunt.

Nisi enim statim id fiat, particula sulphuræ vel obstant,

vt

vt diffringatur & rumpatur potius vas, cum detonatione, cum impetu, exemplo nitri, quam vt spiritus inde obtineatur; vel intime coeunt & sese amplexantur, vt bullulis infinitis spumescant & assurgant, citra spirituum dimissionem, & acidi fluorem vaporosum, exemplo dulcium laudatorum.

Hinc terræ additio necessaria est, non solum ad dissociationem, sed etiam ad infringendum sic magis sulphur salibus plerisque iunctum, & in dulcibus eminens potissimum, vt quæ cæteroqui vel concidebant magis, vel efferebantur, additis his extraneis, dissociata & infracta facilius sic euaporent. Imo in dulcibus aquosis ne hæc quidem sufficiunt, sed salino-terreis opus est, quale v. g. est caput mortuum spiritus salis, vel cineres etiam.

Vti vero nebulæ seu fumi specie prodeunt spiritus acidi: ita (5.) quæcunque inter hæc spiritum acidum fundunt citra humidi vehiculum, phlegmate omni priua, butyrofa forma congelantur, & spiritus fumosi nomine veniunt: quod tum aliorum exemplo, tum butyri antimonii, & spiritus louialis-Mercurialis (v. g. ad bezoardicum magnum Fabri) verum est, accedente simul interueniente & occulto inibi in quibusdam terreo alioue, quod consistentiam & pondus auget. Si enim hinc diluantur aqua, vel hac imposita in recipiens excipiantur, spiritus ordinaria consistentia magis præsto sunt & affectione.

Quæcunque denique (6.) inflammabilia sunt, seu sua natura, vt sulphur commune, seu inuicem iuncta, & sic detonari apta, vt sulphur, antimonium, tartarus, nitrum; illa spiritus quidem itidem largiuntur acidus, sed præuia & mediante accensione, vel actuali & completa, in gas resoluta, vt spiritus sulphuris campanatus; vel suppressa, quam clyssiformem distillationem, & spiritus hinc clyssos vocant, exemplo clyssi antimonii maioris & minoris, simplicis & compositi, tartarei & sulphurati, in recipiens respectiue spiritu vini vel aqua indita.

H 2

Inter

Inter hæc (7.) particulæ metallicæ, dum concidunt intime & subsident, sicque euaporationem ac fluorem acidi impediunt, etiam spiritus largiorem prouentum differunt, quod de vitriolo imprimis valet: Vnde, quo magis solutione & coagulatione repetita depuratum est, eo facilius fundit spiritum, & contra. Et in hoc etiam clavis residet ipsius spiritus vitrioli regenerati, exposito colcothare aeri ad laxandos poros, & humidi noui ex aere acquisitionem.

Tacemus (8.) in mineralibus quibusdam etiam fermentationem obstetricari, ad euolutionem fluorem indepti spiritus, quatenus sulphur sic magis debilitatum liberius acidum cohabitans dimittit, quod de spiritu seu aceto antimoni, ad mentem Basiliæ Valentini parato, valet; quo de & Paracelsus videri potest.

Nec mirandum hinc, pro diuersitate subiectorum, spiritus acidus non vnus generis etiam a posteriori confurgere, & non omnes vno eodemque modulo confieri posse, vel parari. Variant etiam iidem, pro acidi sulphurei terrei metallici specifica crasi, miscela & gradibus; prout item inter alia acidum mitius, fortius, eminent, concentratum vel diffusum est, quæ ipsa & phlegmatis miscela intimior variat. Vnde & quidam oleorum nomine, spiritus concentrati putata, vt falis, vitrioli, veniunt; quamuis & aliquando laxius hoc nomen ipsis spiritibus tribuatur etiam, a quibusdam autoribus.

Quod processum hinc porro in genere attinet, præter dicta, alii via humida, alii sicca confiunt, alii media, seu vtraque; illi per cucurbitam, vel ipsam quoque vesicam, hi per retortam magis propulsi. Quidam vtroque modo confiunt, spiritum nempe per retortam destillando, per alembicum reificando. In quibus etiam sulphur eminent, resinofum, bituminofum, vel aliter se habens, idque forma liquida habendum, oleum seorsim prodit, exemplo tartari, lignorum, & aliorum.

In



In genere vero & h. l. cauendum est, saltim via humida, destillando vel rectificando spiritus acidus, ne ad siccitatem vsque fiat destillatio, vel vterius, quam par est quoque. Id enim si fiat, v. g. in aceto destillato, empyreuma succedit, in aliis ruptura vitrorum. Cauendum item in spiritibus mineralium, maxime salis & vitrioli, ne phlegma feruidum & elasticum impetuofum rumpat vel findat vitra, nec tamen copiosius adfit: impetus ergo nimius coërcendus, & retundendus.

Quando vero phlegma deest, in recipiente locandum est, vt nebulæ sic subeant citius, & corporeo hoc vehiculo spiritus obtineatur, quo sine frustra plerosque propulsaueris: id quod exemplis sequentibus clarum erit magis.

*Acetum destillatum.*

Quod Tartarus est in sicco, id acetum in fluido, parte salina resoluta, & fluorem adepta, intimeque phlegmati sociata. Habetur vero acetum destillatum, id est, partibus sulphureis tartareis impuris separatis, pars aquea - salina potior & simplicior, hoc modo:

Rx. aceti vini bonæ notæ q. v. v. g. mensuras quatuor, sex, octo: infundatur vesicæ cupreæ, prius lardo inunctæ, vt minus arrodatur venerem: vel potius firmiori terreæ, relicto pro euaporatione sufficienti aliquo spatio. Imponatur alembicus vitreus maioris capacitatis, ad id aptatus, & igne carbonum successiuus ignis gradibus destillatio fiat, in recipiente maximum, corollæ stramineæ innixum, vel in eius defectu in cucurbitam maiorem, loco recipientis appositam; & cum hoc casu aliud refrigerium commune huc non quadret, (tinctura viridi e canali venereo prodeunte,) vasi ligneo aqua frigida impleto impositam; continuando ad remanentiam circiter subquadruplæ partis. Sin vrgeatur ad siccitatem, fit empyreumaticus liquor, & porosum caput.

mortuum, alias liquor concentratus rubellus residuus, qui dicitur acetum radicum,

Vfus est tum per se celebris interne & externe, v. g. ad potiones, epithemata, acetum bezoardicum, &c. tum loco menstrui polychresti acidi mitioris, ad tincturas vegetabiles, ad saccharum Saturni, & alias, vbi vel euaporandum est menstruum, vel salia saturanda, vt ad arcanum tartari, ne de destillatis aliis, liquore styptico interno, aqua prophylactica &c. dicamus.

*Spiritus Tartari.*

Polychrestus est tum per se, tum cum aliis mixtus, frustra a quibusdam reiectus, vel fucatus quoque.

℞. tartari crudi, albi vel rubri, (ex illo plus spiritus, ex hoc plus olei fere acquiritur,) præcipue crystallini, maioribus frustis, q. v. v. g. libras tres vel quatuor. Indatur retortæ vitreæ capaci, & luto, vel charta, vel vesica prius firmatis commissuris, ex igne arenæ, destilletur successiuis gradibus, igne primo leniori, hinc moderato, sufficiente tamen, ne spiritus impetuofus exitum liberum nimis quærat, in recipiens vitreum capacissimum, spiritus nebulosus, vna cum guttis seorsim stillantibus, & roratim concretis, succedente sub finem oleo empyreumatico nigro, quod fœtidum vocant. Facta perfecta destillatione, per horas circiter octo vel nouem, cessantibus nebulis, desinendum est.

Hinc denuo ex retorta vitrea, alia vel eadem, (cum aqua prius elutriata) tantundem tartari eodem modo destilletur, apponendo vas recipiens idem, cui adhuc spiritus, a priori destillatione qui prodierat, insit. Effundatur ex recipiente, & ab oleo separetur spiritus, per filtrum chartaceum triplicatum, prius aqua madefactum, seruandus ad vsum, sola subsidentia & mora depurandus, & clarificandus: vt aurei coloris, odoris non ingrati, saporis acidulo-amaricantis, inseruiat pro vfu sudorifero, renouatiuo,

DE SPIRITIBVS ACIDIS.

63

in scabie, febribus malignis, pleuritide &c. per se, & cum aliis varie mixtus. Oleum traumaticum est, in vulneribus recentibus, quæ statim condit, gangræna, &c. Ex eodem, cum spiritu vini, etiam spiritus tartari oleosus destillari potest. Ut vero

*Sal Tartari*

impetretur, caput mortuum ex retorta, affusa aqua elutriatum, in sartagine ferrea exsiccetur. Hinc in crucibulo, vel retorta fracta terrea, leniter calcinetur, ad deflagrandas partes oleosas immerfas. Hinc iterum affusa aqua pura elixiuuetur sal, & filtretur, ad separandas partes terreas nigras: solutum igne non nimis præcipiti euaporetur, vel in totum, pro lubitu, vel successiue ad crySTALLISANDUM. Vtroque modo habebitur candidum, & pro suis vsibus quampluribus seruandum, & defendendum ab aere.

*Spiritus Ligni Sancti.*

℞. rasuræ ligni sancti, vel alterius consimilis, pro lubitu, vt querni, iuniperi, colurii &c. v. g. libram j. vel ij. Destilletur per retortam vitream, ad modulum spiritus tartari, ex arena, successiuo igne, recipiente itidem paulo capaciori, (1.) spiritus acidulus, (2.) oleum nigricans, bituminosum, spissius, separandum hinc more solito per filtrum duplicatum, traiecto spiritu. Hinc pro diuersa intentione etiam rectificari potest, & ad vsum seruari diaphoreticum, & sanguinis mundificatiuum, in scabie, lue venerea, seorsim vero vt menstruum ad

*Tincturam Coralliorum cum  
spiritu lignorum,*

seu inde nominatam. ℞. Corall. rubr. puluerisat. ad

vii.

vncias ij. vel iij. circiter: affundatur spiritus ab oleo separatus q. s. Stent per aliquot dies in cucurbita, pro extractione obtinenda, cum leni præuia efferuescentia. Hinc spiritu abstracto ad mellaginem, affundatur spiritus vini q. s. ad extrahendam tincturam, in eodem vsus, mundificantem & roborantem, in scabie, tinea, lepra, lue venerea.

Ex Oleo vero fit

*Oleum Odontalgicum.*

℞. olei caryophyll. ligni guaiaci qu. vis, v. g. a. gr. v. vj. iix. ℥. camphoræ gr. ij. iij. M. Applicetur gt. i. vel ij. cum bombace, denti dolenti cauo & carioso. Siftit enim dolorem, dentes roborat, cariem corrigit, repetendo, pro re nata, semel vel bis de die.

*Spiritus Salis.*

℞. salis communis ℔. iij. boli albæ communis tripulum seu ℔. ix. Misceantur accurate, & vel cum aqua impastentur, vt exinde fiant globuli prius bene exsiccandi; vel potius, citra illorum efformationem, sola facta accurata mixtura, indantur retortæ terreæ bonæ notæ. Hac locata in furno l. a. & subdito igne aperto, cum vel sine apposito rostro intermedio, inter recipiens & retortæ collum, propellatur primum phlegma, citra vas recipiens appositum & lutatum, in vitrum conseruale, eo vsque donec spiritus fere propelli incipiat, exclusiue, cuius indicium sunt nebulæ & sapor acidulus, Hinc indatur stillatum phlegma recipienti vitreo maiori, imo eidem bona pars aquæ simplicis, v. g. ad mensuram j. i℔. vel ij. (pro ℔j. salis ℔j. aquæ) indatur. Quantum enim phlegmatis seu aquæ iungitur, tantum fere spiritus acquiritur.

Spiritus hinc propulsio, leniter in aquam subsidentis, conti-

conti-

continuatur, aucto sub finem igne, ad perfectam euolutionem: quo facto rectificatur, cucurbita vitrea non adeo alta, cum alembico confimili. Vbi procedit (1.) phlegma, pro re nata in repetendam destillationem seruandum, (2.) spiritus striatus mutando recipiente, & (3.) in fundo relinquatur oleum salis, id est, spiritus spissior, saturatior, & flauescens, seu concentratus, non tamen ad siccitatem vsque protrahendo ignem. Nota, si suppetit olei huius certa quantitas, a destillatione repetita, affusa aqua, inde per alembicum destillando, haberi potest spiritus.

In orificio vero retortæ, perfecta penitus destillatione, quod eius signum est, flores quoque salini, seu ammoniacales, sublimati visuntur, & colligi amant, vt sufficienti quantitate præsentem, inde spiritus salis ammoniaci vrinofus parari queat. Spiritus Salis vsus est refrigerans, stomachicus, febrifugus, nephriticus, aperitiuus, ad menstrua quoque & alia polychrestus: dosis guttæ vj. iix. & amplius. Acquiruntur sic ex libris iij. salis, circiter spiritus libræ ij. minimum, olei salis libræ quarta pars. Et ipsum vero caput mortuum terreo-salinum asseruari meretur, pro aliorum destillatione iuuanda impendendum.

*Spiritus Mannæ, Mellis, & similia.*

Cum dulcia hæc spiritum acidulum fundant, sed minus si per se id fiat, quin maxime feruescant, spiritus retardetur, & ebulliendo oras cucurbitæ meræ bullulæ confurgentes transfiliant; hinc optimo consilio id præcauetur, si recipiatur Mannæ Calabricæ lbj. cap. mort. spiritus salis lb.  $\frac{5}{4}$ . Mixta inter se indantur retortæ vitreæ, paulo resupinata, & ex arena, in cucurbitam paulo capaciorem, propellatur spiritus nebulosus, acidulus, cum pauculis miculis oleosis, sed successiuis gradibus. Ita enim nulla fit (ceteroqui familiaris) ebullitio & spumescencia, sed omnia pacate propelluntur. Sin ignis præcipitetur nimis, nihilominus transfilitio fieri potest. In melle destillando, dupla proportio potest assumi.

I

Vfus

Vfus spiritus Mannæ per se quidem est diaphoreticus, & spiritui Tartari affinis: vis enim purgandi, cum textura, plane inuerfa est; Frequentius tamen menstrui potius vice inferuit, itidem ad extrahendam tincturam Coralliorum, imo Auri ipsius.

Proceditur vero in tinctura Coralliorum hac extrahenda eodem modo, ac cum spiritu lignorum dictum est: ad  $\zeta$ iß vel ij. affundendo spiritus vncias vj. vel iix. ex libra j. collectas. Ita enim per aliquot dies, præuia efferuescentia inter se composita, relicto etiam innoxio oleo, leniter tingi obseruatur liquor, quo abstracto, affuso spiritu vini vel alio roborante, extrahitur tinctura satis elegans, quæ decantata seruetur ad vsum, in palpitatione cordis, senibus, clinicis, debilibus, melancholia hypochondriaca, metu abortus, roborandis grauidis, mensibus immodicis, hæmorrhagiis &c. Diffundi etiam potest spiritu theriacali, si saturatior fuerit, & misceri cum tinctura Martis adstringente, guttis xv. xx. xxv. xxx.

*Spiritus Viridis Aeris Crystallini.*

Cum ex Viridi Aeris simplici, sibi relicto, spiritus vix ex voto procedat, & parum vel nihil obtineatur, nisi alia euaporabilia addantur; præstat eundem destillare ex eiusdem crystallis, siue præparentur ab ipso Medico, seu quod perinde, prout hodie præparati iam apud seplasiarios profant, ad medicum & pigmentarium vsum, vt plura alia, (destillirter Grünspan vulgo.)

℞. Viridis Aeris Crystallini libram j. frustula fracta, separata a ligno, quod pro crystallisatione facilitanda additum fuerat, indantur retortæ vitreæ, & igne arenæ l. a. adhibito, ( ipso prius collo retortæ cum penna anserina absterfo, ) destilletur spiritus primo albus, seu coloris expers: dein viridescens, euocata simul centraliter seu sublimata viriditate; & tertio nebulosus, seu nebulis albis conspi-

conspi-

conspicuus, donec omne euaporabile fuerit perfecte protrusum, vltimo loco aliquando guttulis flauescens sub-sequentibus.

Spiritus acido-volatilis, tum per se interne & externe locum habere potest, vbi quidem acida profunt, etiam solo odoratu reficiens, cum vel sine castorio, syncopicas & alios; tum ad tincturam antimonii Zwelfferi, ne plura dicamus de vsu ad magisteria; tum præcipue optimus ad tincturam Martis adstringentem parandam, aceto destillato sic summe concentrato, & anima veneris animato.

*Tinctura Martis adstringens.*

R. v. g. limaturæ Martis finæ ℥j. iß. vel ij. Spiritus vir. æris ℥vj. vel iix. seu quantum ex libra j. fuit collectum: affundatur in cucurbita vel successiue, vt in crocum prius resolua-tur, quod præcipit Zwelfferus; vel vna potius quasi vice. Ces-sante ebullitione leni, imposito cucurbitulæ minori alembico, stent per aliquot dies, ad sufficientem ochræ martialis terreæ solutionem & expansionem. Hinc fiat abstractio spiritus ad mellaginem, & affuso spiritu vini extrahatur, data suffici-enti mora, tinctura rubella elegantissima, adstringendi & ro-borandi virtute prædita; locum habens in fluoribus sangui-nis, aliorumque fluidorum, laxitatibus fibrarum, conueniens in vomitu, diarrhœis, fluxu hepatico, hæmorrhagiis, men-sibus immodicis, lenteria & similibus. Datur tum per se, tum cum tinctura coralliorum, sed prouide mixta, modo non sit vtraque saturatior, (ita enim præcipitantur potius) & a-nodyna, theriacali, &c. ad guttas xv. xxv. xxx. Præstat, vero, non festinare nimis hanc extractionem, vel abiicere mox residuum, sed relinquere in cucurbitula minori, repe-tendo semel iterumque affusionem spir. vini, & sic extra-ctionem continuare, resoluta quasi sic penitus Marte. Ta-cemus, spiritum viridis æris vsurpatum denuo commode im-pendi posse.

LIBRI II. CAPVT IV.

*Spiritus Nitri.*

Fit eodem modo, ac spiritus Salis. ℞. nitri ℥. ij. boli albz vulgaris, vel cretæ potius, ℥. vj. Puluerisata misceantur probe in mortario, & indantur retortæ terreæ, desuper facto tegmine ex tegulis, vel lateribus, & relicto spiraculo, pro aeris sufficienti admissione & moderamine. Administratis ignis gradibus, fiat destillatio in recipiens capax, cui si nihil aquæ inditum fuerit, quantitas minor emerget spiritus: sin contra fiat, vt consultius est, maior. Prodit spiritus intensiue rufescens, talique splendore totius recipientis parietibus visendus, continuando per aliquot horas, donec color hic remittere videatur cum nebulis. Hinc decantatur idem, & ad vsus suos asseruatur, interius vt carminatiuum, antipleuriticum, sed prouide, minori dosi & dilutus, adhibendus. Exterius corrosiuus est & mechanicus, ad menstrua auri, mercurii & aliorum, expetitus.

Eiusdem commatis est

*Spiritus Salis compositus.*

Fit enim eodem plane modo. ℞. salis communis, & nitri a. q. v. v. g. ℥. j. cum boli albz puluerisatæ ℥. vj. Mixta indantur retortæ terreæ, & ad instar spiritus nitri fiat destillatio, in recipiens capax, cum tubulo intermedio, vbi & spiritus ruffo colore itidem conspicuus prodit.

Vsus laudatur nephriticus, diureticus, anthydropicus, sed prouide adhibendus, ob vim maiorem corrodingi, vnde vix locum habet, nisi fiat diluitio & attemperatio sufficiens, ne acrimonia corrosiua noceat. Potior vsus est, non solum ad menstruorum classem, sed & magis fere ad liquores parandos, v. g. liquorem nephriticum Michaëlis, animale & minerale, liquorem stypticum internum, ex terra sigill. Ei. &c. si affundatur successiue, & præuia efferuescentia abstrahatur, per deliquium hinc consurgente liquore. Item ad tincturam  
sul-



sulphuris vitrioli parandam; extra quem vsum, eodem consultius & facile possumus carere. Dosis sunt guttæ iij. iv. v. pro affectus modulo.

*Spiritus Vitrioli.*

℞. Vitrioli Hungarici, Anglici, Goslariensis, q. v. v. g. ℞. iix. vel x. Expandatur in patina, charta vel scatula maiori partitim, & exponatur aeri calido æstiuo, vel alio tempore super fornacem, eousque, donec sensim exhalante humiditate aquea, contrahat albedinem, & facessat in pulverem, quod optimum est. Vel, si compendium quærat laboris, calcinetur in olla vna alteraque, non vitreata, vel crucibulo maiori inditum, ad ignem carbonum moderatum, donec fluere desinat, & abacto phlegmate aqueo superfluo, videatur satis calcinatum. (Quod si vero phlegmate omnium destilletur, butyrosus spiritus, isque fumans, ad appulsam aeris, & successu temporis in oleum deliquandus, obtinetur.) Hinc inditum retortæ terreæ, successiuo igne propulsetur, ad modulum spiritus salis, in recipientis capax, cum suo tubulo intermedio; vbi ordine prodit, primo phlegma, quod inerat residuum, & corporaturam seu vehiculum subsequenti spiritui largitur, quo sine etiam aquæ pars aliqua indi recipienti potest pro lubitu. Secundo Spiritus, nebulis albicantibus conspicuus, pellendus etiam longiori tempore, si maior quantitas destillationi fuerit subiecta, quod etiam ad dies duos vel tres nonnunquam extendunt autores. Ita enim, extremo quasi ignis gradu, tertio Oleum, seu potius spiritus fixior grauior & tinctus exhauritur ac prolicitur, qui aeri expositus augetur.

Quod si hinc rectificatio instituat, haberi potest seorsim primo spiritus vitrioli sulphureus volatilior, secundo spiritus vitrioli communis, seu vulgaris proprie dictus, tertio Oleum Oli, quod in fundo remanet. Hæc vero, nisi in copia paulo maiori instituat processus, non ita commode separantur,

vel obseruari solent. Singula suis vsibus seorsim, si ita velis, inseruiunt: nempe Spiritus Volatilis Sulphureus cephalicus est. Vulgaris, vt medicamentum stomachicum, refrigerans, polychrestum est, & menstruum. Oleum quoque, tum ad experimenta varia alia, tum ad fixanda mineralia, ipsumque mercurium impenditur. Vt taceamus vitriolum martis, crocum ꝑis aliaque plura cum his paranda. Videantur pluribus de hisce Basilius Valentinus, Paracelsus, Mynsichtus, Rolincius in Chimia, Lemery in Cursu Chimico, & alii.

Si loco vitrioli communis recipiatur Vitriolum album, etiam sic experimentum fieri potest, & succedit. Sin Vitriolo ipsi addatur statim caput mortuum spiritus salis, v. g. ℞. a. ℥. iv. procedendo ad modulum spiritus Salis, habetur inde

*Spiritus Vitrioli Salinus.*

quo de vid. Ortus & progressus Academix Naturæ-Curiosæ qui inter spiritum salis & vitrioli mediat, & tum aliis vsibus communibus inseruit, tum pro magisterio C. C. parando, præ aliis longe optimus est deprehensus.

Neque vero hinc opus est actum agere, & spiritum vitrioli Martis vel Veneris seorsim, ex vitriolo horum arte facto, damnose vel sumptuose parare; cum compendiosius, si quidem vulgari contenti esse nolimus, qui iam sufficit, haberi queat,

℞. ~us Oli communis q. v. v. g. ℥j. vel ij. vitrioli Martis partem suboctuplam, seu ℥j. ad vnciam j. Mixta stent eousque, donec, adiuuante etiam calore, inuicem fuerint soluta & vnita. Vsus est anthypochondriacus, aperitiuus & resoluens, refrigerans, ita tamen vt detur non nisi robustis, idque parcius, & vbi humores pituitosi viscidi abundant, non item in tenerioribus. Tingi etiam pro gratia, vti & Tartareus, additione crySTALLORUM Tartari, reddi potest, cum vel sine confectione Alkermes.

*Sal*

*Sal Vitrioli.*

Vna vero habetur quoque sic Sal, & terra dulcis Oli. Ex capite mortuo enim Vitrioli, ad brunnum colorem calcinato, qui rubro eminentior est gradus, fit elixiuatione, ad instar aliorum Salium, & euaporatione mediante, Sal Vitrioli, quod, pro re nata, vna alteraue vice denuo calcinatum & elixiuiatum, crySTALLINUM & elegans euadit, ochreis particulis sic magis liberatum, & maiori puritate & candore gaudens. Pollet virtute emetica & roborante, Mannæ vomitoriorum nomine veniens, ad ℥j. ʒβ. dandum. Est & Er-rhinum non inelegans, traumaticum in vlceribus tum aliis, tum laxitate gingiuarum, & polychrestum.

*Clyffus Antimonii Sulphuratus.*

Restat, vt & exemplum spiritus acidi clyffiformis demus, reliquorum enim descriptiones hinc inde extant. ℞. antimonii, nitri ana v. g. ʒiv. sulphuris stillatitii, vel in magdaleonibus (cauendo impurum, quod fulminat) v. g. ʒiij. Puluerisata misceantur in mortario, hinc materia successiue & particulatim, in retortam tubulatam, cum cochleari longiori ingeratur, v. g. ad ʒβ. circiter pro vice vna. Hoc vt decen-ter & lege artis fiat, (1.) retorta ipsa probe locetur, tubo superiori seu in dorso sursum ac supine, vt communi-ter volunt, seu antice ad latus inserto, pro cuiusuis commoditate. (2.) Non prius ingestio fiat, quam ipsa re-torta tubulata probe quoad fundum candeat, vt nempe de-tonatio rite fieri possit. (3.) Tubus inferior ordinarius, seu collum retortæ, indatur recipienti vitreo capaci, cui prius aquæ simplicis circiter mensura vna fuerit indita, facta probe lutatione.

Hinc simul ac pars ingesta fuit, tubus ipse anterior, per quem ingestio fit, statim globo maiori ex luto recens facto, probæ consistentiæ, obturetur. Id enim longe opti-mum præ aliis est, ne foras detonatio, & in faciem vel  
manus

manus assidentis ingerentis fiat. Et hunc in finem, plures vno apparatu globos ad manus esse præstat, vt nempe detonatio occulta quasi magis, seu igne clauso, peragatur, & denegato sic exitu alio foras, cum impetu nebulæ inde confluentes in recipiens propulsentur. Adeoque non peragendum est in ingerendo prius, quam prior immissa pars, mediante detonatione, fuerit egressa & expedita.

Operatione peracta, liquor filtretur per chartam emporeticam, & feruetur ad vsum. Est vero clyffus hic, seu spiritus sulphuris nitratus, refrigerans, diureticus, diaphoreticus, (magis tamen pro scopo secundario fere, quam primario) & simul aluum apertam tenens, in febribus, siti, pleuritide, calculo, aliisque casibus propinandus. Ita enim commode alteramus potum ordinarium, miscendo hunc clyffum cum tinctura violarum, rosarum, papaueris rhæados, aliaue, & hinc per diem bis circiter indendo cereuifiæ libræ vni, guttas xxx. xxxx. quod & in iulepis provide fieri potest.

Vna vero a clyffo, dicto modo filtrato, obtinetur in filtro relictum Sulphur Antimoniatum, vna euectum & sublimatum: quod commode impendi potest ad balsamum Sulphuris antimoniatum, simul virtute innouatiua balsamica pollens. Ex capite mortuo reliquo clyffi huius, in retorta relicto, cum Nitri triplo, Antimonium diaphoreticum obtineri potest, quod ipsum nonnulli vulgari ipsi præferunt.

Tacemus, etiam modos alios quibusdam in vfu esse, circa spiritus hos acidos. Ita, si spiritus vitrioli a capite mortuo suo cohobetur semel iterumque, (ad instar fere arcani ☿ri) acidum roboratur inibi absorptum, vt insipidus liquor primitus prodeat; saturatione vero facta, propulsatur spiritus ☉li cohobatus elegans. Vna quoque sic regeneratur quasi Vitriolum.

Aqua fortis, est spiritus Vitrioli & Nitri compositus. Cum enim facta horum mixtura cruda, extemplo odor exspiret

spiret

spiret aquæ forti proprius, facile patet, quod in acidum medium quoddam immutent se inuicem, adeoque vis soluendi non vnice nitro, vel spiritui nitri attribuenda. Illa vero si fiat, aqua etiam recipienti inditur, v.g. pro ℥j, ℥j. Compositæ cum amiantho, tutia & aliis, dicuntur Gradatoriæ. Vsum habent causticum, & soluentem lunæ. Aqua mortua vero audit, a solutione illa reliqua, & præcipitatione retusa.

Vt vero nitrum & vitriolum se inuicem acuunt in aqua forti, ita hanc ipsam roborant & in aquam regiam mutant Salia alia, vt sal ammoniacum imprimis, adæquate sal gemmæ, nitrum ipsum: tum via humida, si aquæ forti addatur alterutrum, a suboctupla ad subquadruplam quantitatem, seu simplici solutione, seu, vt nonnullis placet, sequente destillatione; tum via sicca, nitro & sale gemmæ, vna destillatis cum bolo. Omnis vero spiritus acidus, per salia acida roboratur, per alcalia infringitur. Aqua regia soluit Regem metallorum, aurum probe laminatum vel foliatum, idque purum; vt aqua fortis lunam, sed solutione magis violenta, & aurifabris v.g. vel officinis h. l. vsitata, non item solutione philosophica, quatenus Salium horum accessione liquor in terram solarem, & hac mediante in poros Sulphuris agit, vnde cohesionem pristinam amittit, soluitur & expanditur in minimas atomos.

Spiritus Sulphuris, cum Spiritu Vitrioli symbolicus est. Eius vero parandi modus, in duobus communiter consistit: Primo, vt vnctuosi compedibus excutiat acidum, quod solo igne aperto optime fit & confertim; Deinde, vt hoc aqueo vehiculo excipiat, moderando ad gradum conuenientem. Ita enim accenso sulphure, vnctuosum seu sulphureum proprie dictum, cedit in ignis pabulum, Acidum profugit, vnde contrarietas emicat & heterogeneitas. Aucupatur idem Aqua nebulas excipiens, vnde facta abstractione phlegmatis, fit spiritus sulphuris campanatus, pro cuius vice turris quadrata vel rotunda, cum alembico maiori,

iori, aliaque artificia, habent locum. Quod si enim non in aere libero accendatur sulphur actu, sed clauso propellatur igne, sublimatur solum in flores.

Idem vero vinculum bituminosum excutitur arctius in clyssiformi sulphuris destillatione, ab addito nitro rarefacto, & euoluto acido; qui tamen spiritus est magis, per dicta, compositus. Recentiorum tamen inuentum est, furno peculiari, impenso simul spiritu Vitrioli, sulphur in gas acidum euaporandi. Alii hoc pacto cum aqua forti vel spiritu nitri, inde arsenicum consurgere volunt. Quod si fiat, magis combinatione ista enascitur, quam ex sulphure, in se innoxio, prolectum putandum est.

Referri huc etiam potest, e sequenti Sublimatorum classe, Butyrum Antimonii: quatenus nihil aliud est, quam spiritus acidus concretus & concentratus, occultatis inibi, intima solutione mediante, particulis terreis antimoniatas seu regulinis, in sublimatione hac resolutis & præcipitatis, sub Mercurii Vitæ nomine. Cum enim Mercurius sublimatus, ipso Paracelso teste & antecessore, cum Sale & Vitriolo suam consistentiam & euectionem fortitus sit, siccam puta & crystallinam, mixtus cum antimonio puluerifato ana, vel, quod perinde est hoc fine, regulo antimonii simplici vel composito, partes metallicæ deuorantur, impellente igne, a salinis acidis, & spiritus gummosi consistentia propulsantur. Hinc affusa aqua sic habetur

*Spiritus Vitrioli, Philosophicus dictus,*

quamuis de Vitriolo parum, de Sale magis participet, in ipsis striis in rectificatione, & aliis confirmantibus idem. Vetus enim plane idem est cum spiritu Salis, ad tincturas & magisteria expetitus.

Ipse vero Mercurius, tantum abest vt in censum hunc simul veniat, vt potius hoc pacto facta resolutione & saturatione liberatus reuiuiscat, & seorsim visatur, in cinnabari anti-

anti-

antimonii obtentus denuo. Vnde & butyrum Antimonii eadem glaciali consistentia & duritie fieri potest, citra additionem Mercurii, ita vt Salia fluorem adipiscantur beneficio terreorum admixtorum, corpus & vehiculum largiente aqua.

Sin ipsum butyrum Antimonii hoc aeri exponatur, successu temporis deliquium patitur, & in liquorem clarum ac limpidum facessit seu resoluitur, quod ipsum rectificatione non æque necessaria est potius: partim ad vsus corrosiuos, in foniculis, & sphacelo ipso alias, vbi absumendi est intentio, sed prouide admodum; partim ad præcipitandum Mercurium Vitæ dictum, de quo infra agemus pluribus.

Eiusdem commatis est Spiritus fumosus, iam tactus. Vti enim omnes fere tales acidi concentrati spiritus hac affectione gaudent, ipseque spiritus nitri; Ita seorsim hoc nomen meritis est Iouialis: quando amalgama Iouis cum Mercurio factum cum Mercurio sublimato destillatur, de quo vid. Cassius l. de Auro, l. C. O. libr. Sol sine Veste p. 30. 31. & Rolfincius in Chimia p. 372. Quem ipsum spiritum pro liquore Alcahest secreto quidam habent, vti butyro ipso Antimonii, ad sulphura metallorum soluenda & digerenda, vsus est Montesnyder.

Pertinet huc & spiritus aperitiuus Penoti, ex Vitriolo, Tartaro, vt & filicibus calcinatis, vbi Sal Tartari ochram Vitrioli metallicam magis præcipitat, filices vero acidum vana dissociant magis. Ita vero, accedente per deliquium necessario humido, destillari potest spiritus Aperitiuus dictus, Penotus Sal proprium miscere iubet, per se quoque impendendum non inutiliter. Vsitatus tum alias, tum in hydrope commendatur. Facilius vero idem fit fere ex Vitrioli & Tartari ana, vel Vitrioli subtriplo vel subquadruplo, simul destillatis.

Tacemus spiritus acidus parandi modum ad mentem Glauberi. Et largiuntur quidem carbonibus ignitis inspersa

76 LIBRI II. CAPVT V. DE SPIRITIBVS ACIDIS.  
Vitriolum & Sal commune spiritum, sed gas carbonum paulo foetum, praeter alia incommoda: Vnde longe commodius, & maiori copia haberi potest idem, in spiritu Vitrioli Salino laudato.

## LIBRI SECVNDI

### CAPVT QVINTVM,

DE

## *Spiritibus mediis, seu compositis.*

**X** haecenus dictis, sibi relictis, & quasi simplicioribus, etiam compositi, & sic praeter alios, a priori quasi tales, medii spiritus quoque attendi merentur, vnde noua quasi entia & noua medicamenta emergunt, Vti enim inter se combinari sola simplici mixtione non abnuunt, non contrarii puta, difformes, asymbolici & sese destruentes, accedente inprimis digestionem; (quod tamen de acidis fortioribus, cum acidis similibus, pro vsu interno, minus valet,) ita & optime, destillatione mediante, idem obtinet.

Tales sunt *Spiritus acidi vinosi*, quippe qui se placide subeunt, & combinatione hac intimiori dulcescunt, saturatis & obtusis particulis acidis rigidis, a rotundis dulcibus vinosis. Pertinet huc ipse *Spiritus Vitrioli Colcotharinus*, seu *Cephalicus*, quando spiritus vini a colcothare vitrioli abstrahitur, vel solo, vel addito cranio humano, vel aliis quoque pluribus cephalicis, de quo vid. Heerius in *Observat.* & alii, pro vsu cephalico, antepileptico, diuretico item, & anthydropico.

Eiusdem census & magis directe tales sunt *Spiritus acidi dulces*, sensu Medico sic redditi & dicti, ob exutam  
nem-



nempe corrosiuitatem, ac plane sic inuersam & mitigatam, alii quasi a seipsis sapore & virtute.

Cum enim Spiritus acidi, Salis, Vitrioli, Nitri, sibi relictis sint summe actiui, & grauitate sua ac incauto vsu possint fibris ventriculi membraneis nerueisque ardorem inferre, vel iniuriam facere; mediante spiritu vini dulcescunt, & vsibus tum pristinis, tum nouis aptantur. Cum item cum urinosi commissi efferuescant & inter se configant, vt & vicissim hi cum illis; hoc pacto alterati amice se inuicem excipiunt, absque omni paroxysmo contrarietatis.

Duplici modo hi coniunguntur, tum sola mixtione dicta, seu circulatione, citra destillationem, quamuis incomplete magis: quo pacto notabile experimentum est, spiritum vitrioli cum spiritu vini iunctum, seu acidum sulphureo quasi recorporefcere, & vitriolescere, quo de videri meretur Riuerius in praxi; tum destillatione, complete puta. Vterque modus satis est commodus, exemplo Mixturae simplicis, pro distincto scopo, imo & variatione in febribus, prout vel acidum plane castigatum & silens expetimus, vel retusius saltim, variantibus ex parte sic etiam viribus.

Nec in destillatione difficultas est, modo prouide administratur ignis: Vnde, si fulminatio quaedam, in spiritu Nitri dulci vel alio forte obseruata fuit, huic festinationi vel excessui adscribenda fuerit. Ita vero intimius vniuntur quoque, subtilisantur, concorporantur.

Sic dantur *spiritus urinosi vinosi*, eodem pacto confurgentes: v. g. in mixtura simplici dulci volatili, remixto spiritu Salis ammon. pro mensibus promouendis, addito oleo Caryophyll. vel C.C. ad variolas, morbillos, ipsoque spiritu  $\ominus$  ammon. dulci. Imo & *acido-urinosi*: exemplo est liquor seu spiritus C.C. succinatus, quando vel simplici mixtione spiritui C.C. vel eboris miscetur salis volatilis succini suboctuplum circiter, vel destillatione ipsa facta, praevia leni efferuescentia.

K 3

Sic

## DE SPIRITIBVS MEDIIS SEV COMPOSITIS.

Sic non minus fieri possunt *spiritus vinosi, oleosi & vrinosi*, tum confusis, tum vnitis, imo & destillatis cum iisdem oleis, exemplo balsamorum destillatorum & dicto modo paratorum, vt sunt Balsamum Embryonum, Aqua Anhaltina, Balsamum Anglicum, Balsamum Vitæ &c. quorum in affectibus frigidis, & refocillandis spiritibus, extra febrim cum primis, interne & externe vsus est. Idem valet de spiritu Succini, Tartari & C. C. oleoso. Ita & Mixtura simplex volatilis alia huc spectat, tartarea, ex spiritu Theriacali, Tartari & C. C. cum vel sine destillatione consurgens; imo & e solo spiritu Tartari & C. C. facta filtratione.

Sic, vt exempla specialius laudemus,

*Mixtura Simplex*

ad præscriptum primi autoris Paracelsi, & descriptionem Guintheri Andernaci, & vulgo notum modulum paratur. Notandum vero, posse quidem fieri, vti sane fit, cum spiritu Vitrioli; attamen loco huius, & spiritus Vitrioli cohibatus magis volatilis, imo & spiritus Salis rectificatus recipi potest, in mixturis aliis, idque etiam minori dosi, si minor acor expetatur. Potest item spiritus Theriacalis simplex adiungi, vel camphoratus, vel etiam essentia theriacalis ipsa. Quod si cum vel sine camphora destilletur, fit consulto

*Mixtura Simplex rectificata alba, seu dulcis.*

℞. Spiritus Theriacalis ℥v. Camphoræ ʒj. Spiritus Vitrioli ℥j. Tartari ℥iij. M. Destill. per alembicum l. a. Illo scopo putata, vt misceri, præter alios vsus per se, cum pulueribus alcalinis commode in potionibus confortantibus bezoardicis possit. Vtroque modo parata, est polychrestum remedium, sudoriferum, discutiens, bezoardicum, febrifugum, aperiens, in peste, febribus malignis, pleuritide, scabie, affectu ischiadico, dolore capitis, palpitatione cordis, & aliis

liis

liis proficuum, per se, & variis modis miscenda cum aliis, diffusis & concentratis, tingenda etiam cum floribus papaueris rhæados, pro lubitu.

*Spiritus Salis Ammoniaci dulcis.*

Potest quidem & spiritus vini a sale ammon. ipso eiusque floribus abstrahi, destillari, & sic rectificari intime, citra vllum metum coagulationis; ille tamen parum vel nihil a spiritu vini tartarifato differt, vnde spiritus hic Salis Ammoniaci dulcis, seu vinosus, commode ita fit;

℞. Salis Ammoniaci puluerisati partem vnā, seu ℥iv. calcis viuz partes duas, seu ℥viiij. M. Inditis in cucurbitam vitream, affundatur ℥ rectificatus q. f. & igne arenæ successive l. a. fiat destillatio. Ita spiritus, seu sal volatile vrinofum subtilius, liquidum spiritui vini intime nuptum, ascendit. Ast si ℥ recipiatur aquosus, vnitio hæc non fit intime, sed simul Sal aliquod medium flocciforme sublimatum in liquore subsidet. Spiritus primarius fortior, a secundario separatus, mutatione recipientis, seruetur ad vsum variū, internum, externum, & aliis compositionibus parandis inseruientem, v. g. inprimis pro salibus volatilibus oleosis. Recipit nempe & absorbet in se penitus olea ætherea subtiliora, non bituminis mixtione viscidiora, quale est succini & terebinthinæ, id quod cum tinctura Tartari, maxime composita, habet commune: additione tamen æthereorum idem quoque impetratur in bituminosis, v. g. iuniperi, cum oleo caryophyll. Ita fit

*Spiritus Salis Ammoniaci anisatus, sassafratus, &c.*

Soluendo inibi olea illorum genuina, quæ etiam sic ab adulteratis distinguit: idque, vt plura alia huiusmodi, extemporaneo magis vsu, quod longe est commodissimum.

Item

*Sal volatile oleosum Maiorana,*

remiscendo ad ℥ij. circiter spiritus, olei veri guttas vj. viij. x. xij. pro vsu præcipue externo, in obstructione & fœtore  
narium

80 DE SPIRITIBVS MEDIIS SEV COMPOSITIS.  
narium, remiscendo pro re nata & spiritu falis ammoniaci  
communi. Sic etiam confit

*Lac seu emulsio Cephalica,*

elegantissima mechanica, nec minimi vsus in catarrhis, pa-  
ralysi, & pro chyli textura demonstranda. ℞. ~ ⊖ am-  
mon. dulcis ℥ij. olei ligni sassafras gt. vj. x. & amplius. Fa-  
cta solutione sola agitatione, affund. ▽ liliorum conuall. q.  
s. M. Item

*Balsamum Vita extemporneum.*

℞. v. g. olei caryophyll. cinnamom. macis, citr.  
rosmar. salu. lign. sassafr. maioran. lauend. cubeb.  
verorum a. q. v. vt gt. ij. iij. ~ ⊖ ammon. dulcis, vel tin-  
cturæ ꝑri, vel vtriusque, q. s. M. Cuius vsus insignis est in casi-  
bus subitaneis, epilepsia, syncope, apoplexia, debilitate vi-  
rium, lipothymia præcordiali, hysterica, &c. Dosis gt. iij. ad  
vj. Ipsa etiam acrimonia volatili retusa, quod successu  
temporis fit, nihilominus spiritus hic olea soluit, & idem  
additione horum mitescit. Facile etiam pro variatione ole-  
orum, v. g. anisi, carui, anethi, cochlear. sic facere licet essen-  
tiam carminatiuam, & sic porro.

*Spiritus Nitri dulcis.*

℞. spiritus Nitri q. v. v. g. ℥ij. spiritus vini rectific. vel  
appropriati, partes duas, seu ℥jv. (potest etiam ana, vel spi-  
ritus vini triplum sumi, sed hæc proportio videtur magis a-  
pta.) Mixta destillentur ex cucurbitula vitrea firmiori, igne  
arenæ, vt spiritus vini partem volatiliorem spiritus nitri se-  
cum vnitam auferat, cauendo propulsiorem fortiolem.

Vsus est tum alterans, vnde tincturis refrigerantibus  
misceri potest commode, v. g. rosarum, bellidis, papaueris  
rhœad. in febribus, pleuritide, & intemperie alia: tum re-  
soluens, carminatiuus, & diureticus, in Colica, hydrope,  
ascite

ascite & tympanitide, vt & calculo renum & vesicæ; varie remiscendus etiam sic cum essentia carminatiua, elixirio proprietatis, nephritico & aliis. Idem valet de spiritu  $\Theta$  dulci.

*Spiritus C. C. succinatus, bezoardicus.*

$\mathcal{R}$ . Spiritus bezoardici vel theriacalis, C.C. optime sale suo saturati a.  $\mathfrak{z}$ iv. salis succini volatilis  $\mathfrak{z}$ ß. M. Stent, per noctem vel aliquot horas, hinc ex arena debitis vasis destillatio fiat moderata, & spiritus reponatur ad vsum: dandus vel per se, ad guttas xx. xxv. xxx. vel cum tinctura bezoardica, mixtura simplici, & aliis remixtus: in febribus ardentibus malignis, variolis, morbillis, epilepsia, &c. Par ratio est, si spiritus eboris loco C. C. recipiatur, vt & olei iuniperi parum addatur, v. g.  $\mathfrak{z}$ j. quandoquidem calor id non contraindicet.

Liberum etiam est, sali volatili succini affundere spiritum vini tartarifatum, eumque iterum abstrahere sub spiritus succini nomine, pro vsibus tum internis, in affectibus vteri & capitis frigidis, tum externis, in defluxionibus catarrhalibus, indeque oriundis doloribus.

## LIBRI SECVNDI

### CAPVT SEXTVM,

#### *De* *Oleis destillatis.*

**E** Vaporationem etiam & propriam essentiam mediante destillatione fortiuntur OLEA, non quidem sola æque, sed comitata vel cum aquis, quarum vehiculo gaudent imprimis & tutela: vel cum spiritibus quoque: eaque non tam secundaria, quam primaria quoque intentione confurgentia.

Olea vero hæc in genere inflammabilitate & vinctuositate

L

tate

LIBRI II. CAPVT VI.

82  
tate conspicua, foetus sunt sulphuris resinofi, vniti, liquati & fluorem adepti, sed, quæ differentia est inter spiritus vinosos & olea, citra expansionem fermentificam, sibi vtpote relicto magis sulphure, præter consistentiam. Quod enim in concreto sunt resinæ vegetabiles, id in fluido sunt olea, variantibus eadem additamentis, in ἰγχερήσιν, & dotibus feminalibus.

Hæc si pensitemus curatius, diuersi generis deprehenduntur, vt subiecta e quibus obtinentur, ita etiam inde orta. Dantur v. g. (1.) Olea dulcia in recessu, & ita loquendo aquosa magis, pigriora, fixa, actiux salinæ volatilitatis expertia, mucilaginosæ, (mucilagine oleosæ liquatæ quasi) facilius spissari apta: qualia sunt substantifica, per expressionem s. & c. igne magis parari solita, destillari vero per se & per alembicum inepta, exemplo olei oliuarum, amygdalorum, hyoscyami, nucum, &c.

(2.) Olea ætherea, volatilia, aromatica, tenuata & vnita intime cum sale volatili, resina subtili liquida, quo embryonata, & super alembicum vehi & destillari apta sunt, cum aquæ quidem sufficienti quantitate, vnde Oleorum destillatorum nomine καὶ ἐξοχλῶ veniunt, maximæ actiuitatis, odore, sapore, viribus eminentia, spiritu vini alcalisato vel vrinoso intime solubilia.

(3.) Olea bituminosa, quæ partim acido temperata & vnita sunt, partim minus sale volatili foeta, & sic magis plucatilia & globosa, cohesiua, viscosaque. Vnde per retortam fere magis destillantur; per alembicum vero saltim, vel non nisi quoad partem volatiliorem, in rectificatione: (paucis exceptis, vt terebinthina, vnde spiritus dicitur pars volatilis magis) exemplo ligni sancti, succini, iuniperi, tartari, &c.

Affinia his sunt (4.) Olea media, seu ætheréo-bituminosa, quæ & exprimi & destillari possunt, ob copiam & mediam naturam, exemplo olei macis, nucis moschatæ, baccarum lauri, &c.  
quæ

quæ latitudinem superiorum magis explicant, & partim per alembicum destillari possunt, partim in fundo remanent, spissantur, aliisque modis tamen extrudi possunt; quorsum & oleum petræ, quod destillatis æquipollet, referre licet.

Ætherea ergo, eaque primaria, ratione intentionis huius, præparationis, & efficaciz dicta, vnicæ via humida sunt, & per alembicum (vt & quæ his approximant e bituminosis, per dicta) speciatim ex vegetabilibus, magis aromaticis, balsamicis, sale volatili oleoso foetis, contusis, concisis, puluerifatis vel integris, addito cum s. q.  $\nabla$  simpl. Tartaro crudo, & sale communi ad reclusionem faciliorem, & blandam macerationem destillantur. Hoc enim facto igne vesicæ euoluta propelluntur, & ab aqua corporaturam distinctam, ac vehiculum sortiuntur quidem, euectæ vero eidem non miscentur amplius, vtpote non homogenea, sed vel supernatant, vel fundum petunt.

Ab his differunt mirum quantum secundaria, crassiora illa nigra empyreumatica, via sicca, etiam ex ipsis, quæ alias olea ætherea fundunt, parata. Hinc in æthereis illis maxime cauendum est empyreuma, quod nisi contingeret, etiam per retortam destillari possent quædam. Vbi vero id ineuitabile est, vel quasi, in rectificatione per viam humidam, quantum fieri potest, temperari & tolli debet, vt natiuus odor præsto sit, quantum itidem fieri potest. Quædam tamen, exemplo terebinthinæ, vtraque via destillari possunt.

Cum vero plura quædam, aromaticarum particularum, exiguam & volatilem habeant quantitatem resinofam; tum huius supplendi gratia, tum ad abusum & fucum, maioris foenoris & lucris ergo, non item virium, solent vulgo lignorum segmenta, vel terebinthina ipsa addi. Id vero cum scopo plane sit contrarium, optandum esset, vt communi Medicorum SC. abrogaretur, & præstaret illa potius plane ommittere. Vt enim non ex omnibus aquæ, ita nec olea destillanda, vnde distinctio inter olea vera & spuria enata fuit.

Fixiora vero via sicca propelluntur: quod vt facilius fiat, dissocianda sunt, quæ quidem eodem egent, nec eadem iam possident, terreis & salinis, vt cera & pinguedines, additione cinerum, capitis mortui spiritus salis, &c. Quo magis enim pigra, quo magis resinosa, & inprimis liquabilia, eo magis dissocianda, & sic ad euaporandum aptanda: quamuis quædam, vt succinum, igne prouide adhibito, etiam per se, ob salis volatilis connubium, destillari queant, quædam per se & cum aqua, vt terebinthina. Et hoc pacto terreorum poris imbibita, non in spumas agiqueunt, & ebullire, sed tenuata & intime discontinuata, euaporationem, quam alioquin non habebant, fortiuntur, quamuis empyreumatico cum caractere quodam.

Aptiora ergo in genere sunt ad destillationem Oleorum Vegetabilia, eorumque partes magis seligendæ, balsamica, aromatica, resinosa, vt mentha, rosmarinus, lauendula, spicanardi, sabina, harumque radices, folia, flores, semina, &c. hoc caractere præ aliis conspicua. Vnde & sæpe flores, cum semine vel antheris, præstat coniungere.

Sic vtat in seminibus, vis concreta quasi, vel vnita saltem emicet, & hospitetur sal volatile oleosum; nihilominus tamen & folia quædam, per dicta, & radices, & flores id obtinent magis, quod odore saporeque eminet, & virtutibus inprimis. In quibus vero seu plantis, seu partibus earum, dispersæ magis sunt particule resinosæ; non nisi magna quantitate impensa, vel additis succedaneis, Olea haberi queunt.

Pro elementorum horum, v. g. sulphureo-salini aquei, varietate & discrimine, etiam consistentia & color oleorum variat: prout nempe vel sulphur, vel sal volatile præeminet, hæcque sibi inuicem ac phlegmati præponderant. Alia butyrum æmulantur, vt oleum rosarum & ceræ; alia spermatis ceti instar concrescunt plane, & in frigido crystallisantur, in calido soluuntur, vt oleum anisi: quod &

ve-



velut thermometrum hinc constituit, ob sal volatile oleo-  
sum, acido paulo fixatum & nuptum, quod probat etiam  
spiritus, ex anisi v.g. libra semis destillatus, & sapor dulcis.

Olea bituminosa lentescunt facilius, ætherea vero  
temporis successu etiam crystallantur, vti tales crystalluli  
in oleo cinamomi & fœniculi, maxime vero in oleo radicis  
cinamomi, minori quantitate asseruatis, obseruantur quan-  
doque occurrere.

Sic & oleum Cochleariæ, non nisi maiori quantitate,  
& in femina abeunte perfecte herba, paratur in Anglia in-  
primis, vrentis & summe actiua qualitatis, vnde & essen-  
tia haberi potest, sed summe, vt oleum ipsum, volatilis. Sic  
oleum Chamomillæ, magis ex Romana, & additione rasu-  
ræ ligni abietis, paratur, caruleo colore superbiens, ob salis  
volatilis & sulphuris teneritudinem, neruinum ac pare-  
goricum, quamuis sint qui veneris vesicæ atomis id adscri-  
bant.

Vt vero olea feminali crasi sint conspicua, odore &  
sapore integro testibus, v.g. in oleo citri, auran-  
tiorum, &c. præstat ex exsiccatis corticibus, quam putridis,  
id aucupari: seu communi vsitato modo, seu repetita &  
rectificati cohobatione, Quintam Essentiam vocant, quod  
delicatissimum est. Resolutione enim putredinosa, Salis  
volatilis oleosi textura penitus immutatur.

In quibusdam oleum cum vi simul habetur, exemplo  
olei iuniperi, vt frequentius cum aqua. Illud enim indicio  
est, non cedere penitus omne resinofum liquamen, ob e-  
minentiam & bituminofum characterem, in spirituosam  
substantiam. In quibusdam vero duplex quasi se offert,  
oleum destillatum, primo aëreum subtile volatile & super-  
natans, secundo saturatius & ponderosius, aquæ fundum  
petens, quod tum aliorum, tum exemplo olei cinamomi,  
& caryophyllorum ipsorum, verum est.

Accidit vero hoc, partim ob globositatem bituminosam

terreo - salinam, quatenus ob hanc ipsam particulæ magis sibi irretitæ & innexæ, non tam facile diffunduntur in superficie, sed se inuicem amplexæ subsident globatæ, quod de ipso oleo Tartari destillato verum est: partim ob salis volatilis intimiorem maiori quantitate confociationem, vnde & hæc olea cum aqua simplici vel destillata confusa lactescunt, & facilius miscentur, & digesta etiam alia cum Sale ammoniaco ad hunc censum redigi queunt.

Aliud vero est Oleum Vini in specie, aliud Spiritus Vini: vnde non sunt temere confundenda, distincta a priori & a posteriori: vnde & non miscentur inuicem, manifesto heterogeneitatis a symbolica indicio. Tale quoque curiositatis gratia obtinuimus aliquando in præparatione essentia Martis Otæ, idemque ex acinis vuarum, tartaro, & aliis modis, haberi potest.

Conueniunt Olea destillata viribus generalibus, calefacientibus apprime, balsamicis, penetrantibus, carminatiuis, rarefacientibus, resoluentibus & intendentibus sulphur & motum sanguinis rapidiorem. Differunt specificis, feminalibus & dotalibus, quod & odor & sapor essentialis testantur; Hinc &, ob concentratas & actiuas vires, non nisi parcius administrantur in vniuersum, ne sanguinem plus iusto accendant & rarefaciant. Imo & externe idem in certis subiectis probe obseruandum, in quibus vel leuiter illita fronti, scrobiculo cordis & aliis partibus, ardorem, *φλόγωσιν* & inflammationem accersunt: acuatis in corpore eminentibus iam acris humoribus salinis, vna transpiratione impedita.

Adhibentur eadem varie, magis tamen fere cum aliis remixta, quam per se, & dosi refracta, vt cum saccharo in elzofaccharis, cum pulueribus purgantibus & confortantibus, cum rotulis & aliis; imo & cum liquidis quibusdam symbolicis, essentiis, elixiriis, mixturis, facta desuper concussionem, præcipue alcalicis, vt & spiritu salis Ammon. dulci,

ci,

ci, tinctura Tartari, Antimonii, quod de aromaticis & æthereis vnice valet; imo & in clysteribus ipsis quandoque.

Notandum inter hæc, dari & quædam resinosa, licet & volatilia, exemplo camphoræ, nedum minus talia, & bituminosa, vt sulphur commune, quæ ob defectum humidi colliquabilis & symbolici aquei, ac consequenter siccitatem, sublimari quidem ex toto, imo & acidis (vt camphora cum Spiritu Nitri) liquari penitus possunt; in oleum vero constans destillatum redigi renuunt. In his vehiculum vicarium præbent olea, vel alia, vel destillata, exemplo olei radicis cinamomi, quod ipsissimum quasi genuinum Camphoræ oleum constituit: & oleum improprie dictum, camphoræ, seu bezoardicum, cum oleo amygdalorum dulcium. Pro sulphuris vero oleo, balsamum sulphuris haberi potest. Speciatis de singulis, præter dicta alia, exempli loco esse queunt:

*Oleum fl. Lauendulae.*

Inter olea tum e floribus petenda, tum in genere emicat oleum Lauendulæ, seu Spicæ nardi, non officinarum commune, sed verum. ℞. fl. lauendulæ vel spicæ nardi, cum spicis suis q. v. v. g. ℥. j. ij. Affundatur in vesica cuprea aquæ simpl. q. f. Addatur ꝑri puluerisati, ☉ communis a. manip. ℞. vel j. Stent per duos tresue dies in digestionem, (recentes vires adhuc habent integras) hinc l. a. per dolum refrigeratorium destilletur, debitis ignis gradibus, oleum, per vitrum hypoclepticum (*Scheideglass*) ab aqua separandum. Affusa denuo aqua, pro re nata, repetatur destillatio, ad plenius & perfecte exhauriendum pretiosum & nobile oleum, cephalicum, neruinum, balsamicum, refectiuum, cordiale præcipuum.

*Oleum Caryophyllorum.*

℞. caryophyllorum aromaticorum ℥. j. Affundatur in  
vesi-

vesica cuprea aquæ fontanæ q. s. ad aliquot mensuras, addito  $\Theta$  communis &  $\Psi$  rubri parum, v. g. mß. Facta per aliquot dies ad sufficientem macerationem digestionem, destilletur l. a. oleum cum aqua, hinc separandum. Commodior est, si ad manus sit, aqua a priori destillatione residua.

Oleum hoc, ob sal volatile expansum, eminent, aromaticum, est febrifugum, cordiale, stomachicum internum & externum, cardialgicum, odontalgicum, cariei ossium debitum, & ipsi sphacelo, quod cum oleo cinamomi commune habet; penetrantissimum in vnguentis, balsamis, litibus &c. Si aqua quis uti velit, quæ lactescit in principio, seorsim prodest loco epithematis pro ventriculo, &c.

Fit etiam inde oleum odontalgicum, addendo oleum ligni sancti ana, & camphoræ parum. Item oleum febrifugum, addendo oleum piperis & camphoram, cum vel sine  $\Theta$  ammon. dulci. Miscetur etiam cum confectione Alkermes, aqua apoplectica, oleo cinamomi, macis, in liquorem balsamicum cordialem. Addi etiam potest oleum Lauendulæ.

*Oleum Anisi, Carui, Fœniculi, Anethi.*

Rx. alterutrius seminum horum q. v. v. g. lb. ij. iij. adde vel indefinite, vel ad singulas libras ad summum  $\Theta$  comm. manipulum ß.  $\Psi$  ri puluerisati vnciam j. affunde aquæ fontanæ q. s. & ubi per vnum alterumque diem ad suffic. macerationem steterint, destillentur ex vesica cuprea, successiuis ignis gradibus, cauendo, ne ignis fortior, in principio præsertim, subdatur; alias enim, cum primis in oleo anisi, oras transcendit infusum cum impetu, & irritum reddit processum. Ita sub aquæ largiori vehiculo oleum traductum, beneficio tritorii vel vitri hypocleptici, separatur & seruetur ad vsum.

Oleum Anisi, per dicta, squamatim quasi concrefcit in frigido, calido vero statim liquatur. Olea hæc singula sunt carminatiua, in Colica simplici & nephritica, cardialgia,   
 fin.

singultu, ructibus, affectibus vterinis, & externe etiam profunt egregie, v. g. in dictis casibus, dysenteria, calculo, pleuritide &c. Per se vero rarius dantur, sed accessione puluerum, essentiarum, linimentorum, &c. magis. Inde etiam fit

*Oleum polychrestum.*

℞. olei hyoscyami, capparum, scorpionum, vel alius appropriati q. v. v. g. ℥ij. ʒss. olei petrae albi ℥ss. j. anethi, carui, anisi, iuniperi, succini, calam. arom. cerae, &c. (interdum & olei caryophyllorum, macis, tartari foetidi) a. gt. iij. ad vj. M. Illinatur loco affecto, v. g. scrobiculo cordis, in affectibus ventriculi, vmbilico in colica, torminibus, dysenteria; hypochondriis, in eorundem dolore vel inflatione; lumbis & pubi, in affectibus renum & vesicae, calculo, dysuria, stranguria, mictu cruento ipso: imposito desuper sacculo paregorico, ex fl. chamomillae, semine lini, carui, furfuribus, Sale communi, addendis facile aliis commodis.

*Oleum & Sal Volatile Succini.*

℞. rasurae succini flauis vel albi ℔. j. Indatur in retortam vitream, cauendo ne repleatur nimis ultra dimidium, nec ignis fortior in principio subdatur, adeoque ebulliens instar rob transcendat, quem in finem & positura retortae debet esse proportionata. Destilletur igne arenae, successiuis ignis gradibus, sub finem tamen paullo fortius, ad perfectam euocationem euaporabilium. Ita enim prodit primo Phlegma acidulum, quod negligitur fere; secundo Oleum, & quidem, si perfecte penitus destilletur, in superficie instar ligni nephritici infusi caerulescens quasi, ad ℥ix. vel x. ante rectificationem; tertio Sal Volatile, partim retortae collo, partim recipienti adhaerescens, seorsim colligendum & asseruandum, colore flauo subnigricante, vel si sufficiens adsit quantitas, successiue collecta, rectificandum, quoque pro lubitu. Caput mortuum vero, in fundo retortae, nigricans remanet & aridum, in pigmenta cedens.

M

Ole.

Oleum hoc, cum partim ætheream, vel quasi, partim bituminosam substantiam secum foueat, rectificandum est quoad prius per vesicam, affusa aqua simplici copiosa seu larga quantitate. Ita enim cum aqua transit, oleum subtilius & proprie dictum, i. a. separandum & asseruandum; alterum vero, instar picis nigricans & bituminosum, relinquitur in vesica, seorsim eximendum, reiciculum alias, nisi in emplastrum neruinum recipere placeat. Oleum cephalicum, nephriticum, catarrhale, *ευτοκον*, antepilepticum est, in vertigine etiam, laxitate vuulæ, suffocatione hysterica, &c. Sal volatile bezoardicum & nephriticum, miscendum cum lapidibus cancrorum, spermate ceti, cinnabari natia &c.

*Oleum Cerae.*

℞. ceræ albæ in partes concisæ ℔. β. indatur retortæ vitreæ, hinc superingerantur cinerum cribellatorum partes ij. vel q. f. propellendo ex arena, debitis ignis gradibus. Obtinetur, præter phlegma inutile, Oleum butyrosum, quod pro lubitu etiam rectificari potest, cum aceto ipso, via humida, vel aqua simplici, quo tamen vix opus est. Prodest interne quidem rarius, vti sunt qui in Colica, & vt diureticum egregium commendant; exterius vero frequentius, virtute paregorica & traumatica resolvente conspicuum, v. g. in dysenteria, cum aliis remixtum, & præcipue in fissuris papillarum, quod molestum puerperis, præcipue primiparis, aliquando & aliis, non lactantibus, est symptoma: illinendo cum pluma vel solum, vel cum oleo ouorum recenti mixtum; item in lentiginibus.

*Oleum Saponis Veneti.*

Ad eundem plane modum, vt oleum Cerae, fit, cineres cribellatos ad orificium vsque quasi retortæ internum adimplendo. Hinc destilletur ex arena oleum limpidum, cum phlegmate proprio, seu oleum pinguedinis subtilisatum,

tum,

DE OLEIS DESTILLATIS.

91

tum, quæ saponem constituit. Cumque nihil aliud sit, quam pinguedo tenuata, gaudet usu resolvente, paregorico & dissipatio, in doloribus articulorum frigidis, gangliis, contracturis, scrophulis &c. ubi misceri potest cum oleo petrae & philosophorum: minus vero in arthritide ipsa, ubi oleosa talia non æque locum habent.

Affine his est oleum ad scrophulas Helmontii, quod & Langius in epist. describit, in strumis & scirrhis dissipandis egregium, ex ol. laur. ℥viij. olib. mastich. gummi Arab. res. abi.egn. a. ℥iij. destill. & cohob. cum cineribus clauellatis, vtendi & illinendi modo eodem, interne vero propinando resoluentia pituitam. Ad instar olei saponis, vel cere, etiam pinguedines aliæ destillari possunt, si quidem id desideretur, v. g. ad subtilisationem & penetrationem maiorem, adde & asservationem diuturniorem, cum alias rancorem concipiant. Cæteroquin, humectandi & emolliendi usu, suffecerint sibi relicta.

Tacemus oleum terebinthinæ, quæ exemplum inter alia præbet subtilitatis oleosæ variantis, triplicis fere generis. Si v. g. terebinthinæ Cypriæ libra semis, ex cucurbita vitrea, affusa aqua, destilletur in arena, æthereum, (quod spiritum vocant) & medium, spissumque, ex retorta propulso reliquo, emergit. Par est ratio, si ex vesica cuprea destilletur, quod Rolfincio allubescit. Vires habet diureticas, traumaticas, balsamicas & nephriticas, renes, vesicam & vesiculas seminales mundificantes: internas, modo cautius adhibeatur, ne intempestivo pellente usu noxium euadat, mictum cruentum vel ischuriam inferens; & externas.

Caput mortuum est terebinthina ad duritiem cocta, vel Colophonia: interius ad gonorrhœam quandoque, & menses immodicos, sed rarius, exterius vero pro suffitu ad tenesimum proficuum, si cum mastiche v. g. & fl. verbasci commixta prunis inspergatur. Imo & ad procidentiam ani ipsam, addita mastiche, myrrha, gummi asphalti, myrrha

M 2

&c.

&c. præcipue si prius fofus fiat cum lacte calido, floribus verbasçi, chamomillæ, meliloti, &c. & puluis subtiliffimus ex C. C. vfto ac mastiche infpergatur.

## LIBRI SECVNDI

### CAPVT SEPTIMVM,

DE

### *Floribus & Sublimatis.*

**N**ON folum eleuantur a calore ignis via humida Aquæ, Spiritus & Olea, hætenus luftrata; fed etiam via ficca euaporantur Flores, Sublimata & Salia volatilia. Hæc enim alioqui, citra liquidi decurfum vel vehiculum, exceptis quoad hoc falibus volatilibus, fi quidem fibi relinquantur, aère libero in auras abitura, partes subtiliores fubftantifice parietibus excipuli, cucurbitæ vel alembici, affixas exhibent.

Hinc iuxta Gebrum, Sublimatio eft rei ficcæ per ignem cum adhærentia fui vafis eleuatio, euaporabilis puta & volatilis, vel quafi. Quodcunque enim ignem ferre non potest, euolat; quod humiditate caret, forma ficca in vapores ficcos eleuatur. Adeoque fubiectum eft fublimabile, volatile ficcum.

Non confundenda tamen penitus hæc funt, fed diftincte eleuantur: feu faciliorem vel difficiliorem fublimationem, feu eleuationem fublimiorem vel minus talem, feu inprimis ipfam confidentiam in effectu, & alia attendamus. Vti enim (quæ huc fpectant omnino) fuligo fornacum duplex eft, 1. rarior, leuior, porofior, fauilla nigra, & 2. picca, cohærens magis, feu compactior, & fpiffa, *Spiegelruß*; vt in præparatione aurichalci cum lapide calaminari, pompholyx & tutia, reuera inter fe diftincta funt; Ita in Chemicis

h. l.



h. l. prioris generis flores magis audiunt, posterioris Sublimata; Salia volatilia ab vtrisque distincta sunt.

Enimuero elementa Florum & Sublimatorum præbent principaliter particulæ sulphureæ, mercuriales, & salinæ volatiles, vel quasi, cum primis reliquis irretitæ, seorsim *Spiritus* dicti nativi Chimicis; adæquate etiam terreæ, seu *Corpora* ipsa, lapidosa & metallica.

Quod si seorsim ex phænomenis differentias has lustremus, (1.) alia Sublimatio est sublimior Philosophica, a Gebro & Adeptis mirum quantum occultata, qua de & ipse, & Becherus in experimento de minera arenaria auri, & alii legi possunt; alia communis Pharmaceutica, ab illa quasi enata, & recepta hinc magis vulgo.

(2.) Alia est Simplex respectiue, ex vno solo constans ingrediente, per se magis, vt flores benzoës, Sulphuris, Antimonii: alia composita, seu iuuantibus aliis gaudens, vt flores salis ammoniaci cum sale communi: seu componentibus, vt fl. Sulphuris compositi, flores Salis Ammoniaci Martiales, modo necessariis, modo minus. Neque vero compositis, v. g. floribus sulphuris, promiscue opus est, in primis vitriolatis, præterquam pro vsu externo.

Caput mortuum enim vitrioli additum, fluorem quidem sulphuris quadantenus impedit, sed acrimoniam quandam cum floribus communicare potest; & vitriolata pectori minus amica sunt, vt aloëtica ipsa quoque, quæ Phthificis & hoc nomine, & sapore insuper ingrato, minus arident. In partu vero difficili, non sine causa commendatos vid. apud Rolsincium Chim. p. 359.

Ipsam vero Sal ammoniacum quampluribus talibus verificatur, vnde & Aquilæ nomen eidem est impositum, sublimationi aptans, & quæ alias euolare penitus per se inepta sunt, vt mars, & quæ per se etiam sublimari alio nomine consueuere, vt Antimonium ipsum.

(3.) Alii Flores, & Sublimata consequenter, directe &

M 3

pri-

primario scopo confiunt, vt plerique, de quibus h. I. sermo est; alii indirecte & secundario saltim, vt flores ammoniacales in destillatione perfecta spiritus salis, vt taceamus natiuos & arte factos alios.

(4.) Alia sublimata & flores sunt e Vegetabilibus, vnde & nomen indepti sunt suum, quorum omnium instar est fuligo fornacum, flores benzoës & camphora; alia e Mineralibus, vt pompholyx & tutia laudata, antiquissimum inuentum, & cum aliis hodie quasi inter simplicia numeratum, maxime vero reliqua: ex Animalibus enim minus id in vsu est, quod in censum hunc veniat, exceptis salibus volatilibus, & phosphoro.

Quoad vsus (5.) si effectus sublimationis omnes & singulos attendamus, præbet & illa seorsim exemplum *Ἀφαιρέσεως καὶ συγχερίσεως*. Enimuero v. g. primo separat subtile a grosso, flores a capite mortuo, vtile ab inutili, volatile a fixo, exemplo florum benzoës, sulphuris & aliorum. Secundo subtilizat & exaltat, euehendo eleuandoque, exemplo dictorum, quod apprime etiam in salibus volatilibus videre est. Tertio componit, & noua entia sic producit, per *Ἀφαιρέσιν*, seu separationem coniunctam *σύνχερίσιν* constituendo, exemplo Mercurii sublimati, cinnabaris antimonii, mercurii dulcis, ne de aliis sublimioribus dicamus. Quarto acuit seu in spicula corrosiua aptat, in simplicibus minus talia, vt in Mercurio sublimato. Quinto obtundit vero eadem quoque spicula, & sic edulcat vicissim, exemplo Mercurii dulcis, rite præparati.

Cumque diuersa sint a salibus volatilibus, substantia, affectionibus, ingredientibus & effectu, neque promiscue omnia salia volatilia ac sulphura huc pertineant; differentiam specificam videtur largiri & constituere inprimis Acidum diuersimode concurrens, & reliquas essentialiter quasi magis sublimabiles ac volatiles particulas modificans, cum igne nempe coniunctim.

Vifi-

Vifitur hoc in Sulphure ipfo, cui omnino, vt sublimate  
ri poffit, in flores puta, modum addit Acidum intime in-  
nexum, & partes terreo-vnctuosas aqueas quafi figens &  
coagulans, imperfecte licet, nec nifi per ignem apertum,  
diffociabile. Hoc cum igne claufo feperari ab eodem ne-  
queat, quadantenus figit magis quafi, vt atomi difperfa  
& diffociata ab igne, ita coërcita iterum coëant in excipu-  
lo, alembico & aludel, relictis in fundo fixioribus & im-  
puris feperatis. Non tamen omnis aer præcludendus eft,  
vt eo liberius ad eleuationem inuitentur: quod nifi obser-  
uetur & caueatur, imprimis in floribus Antimonii, diffringere  
vafa folet & dirumpere nonnunquam.

Sali vero volatili non minus idem acidum modum  
addit, vt alia facie (florum hac) euectum vifatur, vnde  
tali textura gaudentia, & ipfa fublimate apta funt, & alis  
fuis alia implicata fimul in fublime euehant, quod non fo-  
lum fuliginis exemplo, fed & Sulphuris, Salis ammoniaci  
ipfius & aliorum, eft longe veriffimum.

Vnde & de Camphora idem argutari licet, partes aci-  
dulas, (quamuis, vt in aliis quoque, fubiugatas & in fub-  
dominio magis,) & subtiles terreas, reliquis fuphureis vo-  
latilibus falinis, inibi efle fubstratas. Hac vero & ipfa iam  
fublimate, puriffima & ftatim fua, non eget vltiori hoc  
modo depuratione, illuftrat tamen & fuo loco vniuerfam  
hanc *εγχειραν*.

Quæ vero ex his acidum habent magis eminent, feu  
fua natura, vt arfenicum, feu per combinationem, vt Mer-  
curius fublimate; illa hoc pacto acuuntur magis fere, &  
corrofiua venenofaque euadunt. Neque tamen promifcue  
acui inde ftatuenda funt fublimate: hinc, cum fuphur &  
inde præparata medicamenta, tutiffimum effectum eumque  
fatis nobilem præftent, nec *διανείσει* vlla vis arfenicalis in-  
de demonftrari poffit, quæ vero *συγκρίσει* laudata cum aqua  
forti vel fpiritu nitri abftrahendo emergit, eidem per acci-  
dens

dens

dens inferatur, optima omnino occurrit eiusdem præparatio in floribus. Nota tamen, inde nullatenus perire, vel obscurari inflammabilitatem. Imo sulphur arsenico exiit malignitatem.

Testatur vero ipsa *αυτοψία* & Mechanica, meliores longe esse flores ipsa puluerisato sulphure in substantia, si quidem partes rariore & volatiliores respectiue, porosissimam insuper & delicatam induunt & acquirunt texturam. Indemne vero est & ipsum crudum, præsertim crySTALLINUM, statim suum, pellucidum, quod sublimatione ne eget quidem.

Neque hinc seu cum nitro, seu aliis modis, æque adeo quærendi sunt flores Sulphuris albi, ab acido prædominante arcessendo colore; neque opus est quoque, sublimationem hanc bis vel ter repetere. Cauendum etiam, ne in magdaleonibus aliquid impuri elastici nitrosi aliusue hæreat, quod ob gas peregrinum eiusmodi fulminans facile, etiam detonare inter sublimandum, & alembicum deturbare cum impetu, obseruatum est.

Ab Arsenicalibus autem sublimatis, pro vsu Medico puta, (nam alioquin & ipsum sublimatum est arsenicum) præstat abstinere. Quamuis enim & interius correctæ, & minori quantitate aliquando summe actiua, deprehensa fuerint; tutius tamen est intus abstinere, & exterius quoque non nisi caute adhibere eadem, in vlcibus cancræ, & aliis caco ethicis; nam & hæc non raro inde exacerbari, & corpus lædi certum est.

Vti ergo Flores, & Sublimata in vniuersum, in Sulphureos, Salinos & Mercuriales, dirimi possunt; ita & improprie paulo dicti sunt flores Nitri, (quo de vid. Mynsicht.) & a magisteriis quibusdam efflorescentes, per ollæ non vitreatæ in primis poros, leuissimi illi, elegantissimi & delicatissimi, distillato humido se in superficie sistentes.

Circa *εγχεσηων* hanc duo potissimum repeti vel notari merentur: i. aërem, per dicta, in quibusdam non omnino debere concludi & defendi: admissio enim eodem, quadantenus

tenus

DE FLORIBVS ET SUBLIMATIS.

97

tenus facilior ac felicior fit euaporatio sursum. 2. Ignis proportio pro facili vel difficili propulsione variat: v. gr. lento in fl. benzoës, medio in fl. sulphuris & ꝑ dulci, fortiori, & ipso suppressionis igne, in cinnabari antimonii acquirenda adhibendo. Exempli vice possunt esse sequentia:

*Flores Benzoës.*

℞. Benzoës seu asæ dulcis amygdalinæ q. v. v. g. ꝑij. iij. Indita ollulæ terreae minori, locentur super tripode culinari, subdito calore prunarum moderato, superius tegmine chartaceo pyramidali longiori paulo imposito; sublimentur flores albidii crystallini hastati, ex pyramide illa per vices mediante pluma eximendi, & ad vsum seruandi, citra obturationem vllam fortiorem.

Cauendum vero 1.) ne calore nimio vel comburantur flores, seu empyreuma concipiant, imprimis circa finem, vbi paulo flauescunt; vel crystallinæ hastulæ egregiæ iterum liquefiant & diffuant, continuando eousque ignem, quamdiu substantiæ exhalant & colligi possunt particulæ odoratæ. Id vt commodius fiat, præstat 2.) gemina pyramide id expedire & alternare. Fumus vero exhalans, de subito haustus, facile tussim excitat. Vsus est pectoralis, non tam per se, ob sulphur hoc vaporosum eminens, quam cum floribus sulphuris in pulueribus pectoralibus & aliis. In fundo ollulæ colophonia benzoina remanet, nigra, splendens, elegans.

*Flores Salis Ammoniaci simplices.*

℞. Salis ammoniaci, seu natiui, seu artificialis, q. v. v. g. partem vnã ℞ $\frac{1}{4}$  ℞ $\frac{1}{2}$  salis communis, citra vllam decrepitationem præuiam, partes duas, seu duplum. Puluerisata ℞M. & indita cucurbitæ vitreae obturandæ, igne arenae sublimentur, sufficienti seu paulo fortiore calore.

Ita enim propulsantur flores duplices, imo triplices:

N

primo

primo flocciformes, porosi & leues, qui eleuantur in alembicum, separandi hinc seorsim; secundo, in medio cucurbitæ compactiores, seu ipsum sal ammoniacum depuratum, lateribus seu parietibus affixum; tertio hastati quasi, molliores tamen, instar crustæ, fundo seu capiti mortuo reliquo superstantes.

Vtrique impendi possunt suis vsibus, seu medicis, in quartana, obstructionibus, aliisque similibus casibus; seu pharmaceuticis, ad præparationem medicamentorum aliorum. In fundo relinquitur sal commune, cum sordibus impurioribus, ex quorum centro flores euoluti fuere. Idem vero sal ammoniacum, si libuerit, cum boli triplo mixtum, ex retorta terrea sublimari, depurari, & sponte tingi potest.

*Flores Sulphuris.*

℞. Sulphuris puri & selectioris in magdaleonibus, vel stillatiti ipsius, quod & per se in vsum cedere potest, ℞. ij. iij. Indantur in cucurbitam terream, superponendo desuper aludel tres terreos vel vitreos, suo alembico tectos, & circa basin, seu commissuram cucurbitæ, luto firmatos. Inferius vero hæc igni immediato exponatur in craticula, intermedio frusto tegulæ, & subdantur carbones, igne ita gradibus suis moderando, vt sublimari sufficienter queant, non colliquantur vero & diffluant iterum flores. Continuetur hoc ipsum vno continuo actu, per horas 6. vel 8, alembico minus, vt alias, obturato, nec per vices mutato, vt aliis consuevit fieri.

Flores hinc ipsi, in singulis quasi contignationibus, circa basin aludel & alembici impositorum, collecti & hærentes eximantur, reponendi ad vsum pectoralem, in tussi, raucedine, phthisi, asthma; sudoriferum, mundificatiuum sanguinis, in febribus intermittentibus, scabie, interne & externe, in pulueribus & vnguentis. Inde etiam fit puluis pecto-

pecto-

pectoralis non vnus, v. g. simplex cum saccharo canto, cum vel sine oleo anisi; compositus balsamicus, cum floribus benzoës, radice glycyrrhizæ, iride Florentina, oleo anisi, fœnic. & saccharo canto, quæ spec. diaireos reform. sunt, addendis quoque conchis præparat. Cautius tamen dandi in grauidis, sunt enim emmenagogi.

*Flores Salis Ammoniaci martiales.*

Optime ac intime recluditur mars, etiam forma sicca, beneficio salis ammoniaci, eiusque spiritus acidi salini, vt & vitriolescat, & simul partes ochreas sulphureas solutas exhibeat, imo & aliquando ipsas aureas miculas elegantissimas, seu foliola expansa.

℞. Limaturæ Martis finæ partem vnã, v. g. ℥iv. Salis ammon. puluerisati partes duas, seu ℥iix. M. inuicem accurate, vel sola statim, vel, si lubet, marte prius cum spir. salis imbibito, quo tamen non opus est. Idem vero puta de scoriis ♂ elegantioribus. Hinc indita cucurbitæ vitreæ, committantur igni arenæ fortiori, successiue & sub finem aducto. Ita, ad instar florum salis ammon. simplicium, in alembicum sublimantur, licet minori quantitate, primo flores ex albo lutei (qui color est quasi nota bene actæ rei) leuiiores & subtiliores, qui seorsim possunt asseruari, & in vsus suos impendi; secundo mediū, tum pro aliis vsibus, tum pro liquore peculiari, & spiritu salis ammon. martiali, separandi; tertio infimi, iique iterum quasi duplices, notabili secessu ammoniacalium superincumbentium, croceorum vel quasi, & martialium nigricantium in fundo obseruando.

Habentur hi, abscisso & decollato per circulum fundo cucurbitæ, & si in aperto aëre, vitro fundi capaci reliquo, vel si diffractus fuerit, alio simili, cellæ inprimis exponantur; sensim sensimque, ab ingressu particularum humidarum aëris, & sparsim per vices adspersarum ex vitro angusti orificii aliarum,

per deliquium soluuntur. Confractis sic penitus martis tenaculis, donec liquor supernatans vitriolicus, isque saturatus & concentratus, aurei coloris, decantari & filtrari possit. Estque hic

*Liquor Martialis*

polychrestus, ad tincturas martiales extemporaneas non paucas, v. g. balsamicam cum essentia ligni aloes, aromaticam, absinthiacam, porro tincturam & mixturam antiscorbuticam, tincturam ♂ cum arcano ♀ri, seu Zwelfferi, eamque longe elegantio-rem, roborandam tincturam ♂ cydoniatam, & alia huius generis egregia medicamenta. Per se enim paullo ingrator est, ob actiuitatem & austeritatem maiorem, acidis salinis terreis vitriolatis particulis coalitis & resolutis, adeoque diluendis & alterandis: vnde idem quoque cum terra vitrioli dulci, vel capite mortuo vitrioli, imo & lapide hæmatite, obtinetur facillime. Vnde præcipitando demonstrari potest

*Crocus Martis flauescens.*

Quin ex ipsis floribus nigricantibus, extrahi potest cum ♀ tinctura ♂ crocea. Potest & ex floribus ipsis martialibus subtilioribus superioribus cum vitriolo martis a. v. g. ꝑ. vel j. & ~ cochleariz, vel ♀ rectificato, parari essentia ♂ antiscorbutica, & plura huiusmodi alia, modo pulmones bene habeant, nec ad phthisin sint dispositi. Est & in affectu hypochondriaco, & scorbuto frigido proficua, tingenda etiam vltius, & roboranda pro re nata cum tinctura terræ Iaponicæ, vel essentia anodyna.

Nota: (1.) præstat mora longiori, paulo elegantio-rem & saturatiorem obtinere liquorem hunc, quam simultanea solutione cum aqua. (2.) liquor hic facile tingit cochlearia argentea colore nigricante, statim vero abigere hunc licet sale communi: vnde consultius e vitro propina-  
tur,



tur, cum vehiculo sufficienti. (3.) Medii vero flores rubri, eodem modo soluti, mox tinguntur ab arcano  $\text{Sri}$ , in tincturam  $\text{♁}$  rubram dictam, eamque constantem, alterantem, aperientem, quo de inferius plura. (4.) Residuum in filtro, a liquoris martialis transitu, facta decenti edulcatione, constituit crocum  $\text{♁}$  flauum egregium, aperiendi scopo, vel saturandi & roborandi inseruientem; imo & rubrum, si in crucibulo vltius ab igne particulæ ochreæ terreæ, acidis abactis, expandantur.

*Cinnabaris natia sublimata.*

Inter producta sublimationis præcipue emicat cinnabaris, tum vulgaris illa, ex sulphuris & mercurii consortio, (vnde & æthiops mineralis fit, solo tritu præuio, citra sublimationem) ceteroquin & ipsa innoxia, modo non fit, cum arsenico adulterata, paulo minus tamen interius vsitata; tum antimonii curiosior, imo & ipsa natia, huius beneficio exaltari, & via sicca depurari, si eo maxime indigeat, potest quam optime.

$\text{R}$ . Cinnabaris natia, vel impuræ albæ mineralis, seu filiceæ seu glebosæ, vel nobilioris quoque q. v. v. g.  $\text{℞℞}$ . Indatur cucurbitæ minori, & ex arena in crucibulo maiori locata, obturato cum lapillo vel tegmine alio ex luto orificio, (alias enim aperto eodem sulphur ascendens manifesto accenditur & deflagrat) in furno anemio, sublimetur, ex fundo ad latera  $\text{æw}$  circulariter pars purior, & ad vitri figuram concreta, separanda hinc, puluerifanda, & ad vsus varios, cephalicos, neruinos, impendenda.

Eadem sublimatio etiam fieri potest, ex retorta vitrea minori in catino locata, igne tamen sublimatorio, id est, fortiori, & suppressionis quoque tandem dato. Vnde euetæ vna partes mercuriales, tritu, selectu & expressione seorsim quoque colligi queunt.

Caput mortuum nonnunquam spiritum acidum o-

dora-

doratui offert; nonnunquam, pro varietate mineræ, & vitriolum, quod curiosum & egregium est, per elixiuationem, puta, & a solutione facta coagulationem; nonnunquam terram puriorem aridam.

Tacemus sublimationem cinnabaris, tum huius, tum reliquæ, beneficio additæ limaturæ martis: quæ dum acidum absorbet sulphuris, mercurium seu vtrumque potius liberat, adeoque haberi potest etiam sic  $\Delta$   $\frac{1}{2}$  nii purius v. g. separatum. Elegantissima vero & polychresta maxime inter omnes operationes chemicas, est cinnabaris antimonii, ad instar omnis cinnabaris iisdem elementis gaudens, mercurio vulgari & sulphure antimonii. Ille mobilis & exhalabilis, hoc viscidum irretiens, ligans, plicatile, ac ex parte respectu acidi figens: ex vtriusque combinatione nouo hoc ente confurgente, siue substantiam spectes, siue vires.

Fieri ergo potest & simpliciori modo (1.) qui Helmontianus audit, ad modulum cinnabaris simplicis vulgaris, ex  $\xi$  viuo &  $\Delta$  antimonii, procedendo, vt in vulgari, quo de vid. ipse lib. de V. H. L. p. m. 460. & Tachenius in Hippocrate chimico. Fecimus quoque eundem (2.) ex  $\xi$  sublimato &  $\Delta$  antimonii; sed vt hæc procedunt omnino, & curiosa sunt, ita classicus, polychrestus & receptior est processus vulgaris.

Huius ergo, vt & omnium velut specierum, communis mechanica in eo consistit, quod per dicta ex  $\Delta$ e &  $\xi$ io, velut totidem elementis, omnis cinnabaris constat: quandoquidem hinc, ab acido sulphuris non minus ac plicatilibus particulis,  $\xi$ ius in tantum figitur & irretitur, vt nexum symbolicum fortita, inuicem se & vase clauso sustineant, sulphur vero vtriusque, a calore ignis & miscela hac, emineat & exaltetur.

Nulla itaque differentia intercedit, nisi quod loco  $\Delta$ is vulgaris,  $\Delta$  antimoniatum, regulinis particulis fæctum, loco  $\xi$  viui vero,  $\xi$  sublimatus, in consortium veniant, ne de præcipitato

pitato

pitato ipso dicamus: vtrobique igne duo hæc combinante, & cum spirituum (ex Gebri mente) de classe sint, seu volatilis naturæ, ab eodem sublimantur & vniuntur. Imo vero, quod acre inest antimonii sulphuri & regulinum, emeticum, sic vna a sulphure cicuratur penitus & obliteratur.

Vti vero præius sublimatus compositus est, non simplex; ita etiam per accidens quasi plura simul confurgunt, quæ in simplici vnitione & apparatu non eueniunt. Producta nempe ex miscela hac, in tres quasi ordines præcipuos distinctos, imo plures quoque subordinatos, dirimi possunt: vt vna & prima pars processus sit butyrum antimonii, ex quo alia dicenda habentur: altera cinnabaris; tertia caput mortuum, seu antimonium in retorta remanens, præter flores antimoniatos, & recrementa cinnabaris alia, ex quibus mercurius viuus colligi potest.

*Butyrum Antimonii.*

℞. † Hungarici, ‡ sublimati a. ℥℥. seu ℥viii. Pulverisata misc. probe, & indantur retortæ vitreæ firmiori, citra colli orificii abscissionem; hinc ex arena propellatur, igne carbonum moderatiori, ad horas sex circiter, butyrum. Id vt felicius fiat, cauendum est, (1.) ne igne præcipitato euoluantur maturius particule sulphureæ cinnabarinæ, indeque butyrum in colore alteretur, & cinnabaris non desiderata quantitate subsequatur. (2.) ne exitus butyri e collo retortæ præcludatur, sed vt spissa quasi glacies prodeat, neque morando ibidem obstruat orificium penitus, sicque cinnabaris euolutionem impediat, vel ruptioni quoque vitri ansam præbeat. Hanc in rem commodum est, vt colum retortæ arena calida extrorsum producta, facta perlutum velut anticamera, seu excipulo, foueatur.

*Cinnabaris Antimonii.*

Propulso itaque butyro, dicto modo & tempore, ignis  
vrgen-

urgendus est, imprimis si vapore rubello se exerente cinnabaris appulsus significetur, ita vt non solum *κατω* in fornace intendatur, sed etiam *ανω* candentes prunæ ponantur, & ardeant super arenam, retortam continentem & fouentem, qui ignis suppressionis audit; idque minimum per duas integras horas continuandum, vt hoc pacto sublimetur, in proboscidem retortæ sufficienter cinnabaris. Ita enim habentur huius & colligi possunt ℥iv. circiter, & amplius nonnunquam, puræ, quæ die altero eximendæ, & , quantum pura est, ad vsum seruanda, cephalicum, neruinum, resoluentem, epilepticum, vterinum, polychrestum, per se, & cum aliis potissimum miscenda. Dosis gr. v. vj. ℥β. Non æque vero opus habet rectificatione sæpius repetita, quippe qua partes sulphuræ magis amburuntur; & , prima iam sublimatione, haberi potest vsibus conueniens, si rite processeris.

*Mercurius Vita.*

Vti vero butyrum ℥ii, quod partim in cucurbita recipiente, partim in cornuta prodiit, vel sibi relinqui potest, vt aere admissio, in vitro lati orificii, sensim deliquium patiatur, quo ipso simul optime depuratur, & in liquorem pellucidum, grauem, acidum, corrosiuum facessit, si ad vsum corrosiuum & causticum, excitandos fonticulos, separandum sphacelum, & carbunculos pestilentes expetatur, decantandum & asseruandum; ita si minus id placeat, fundamentum præbet variis aliis medicamentis, & speciatim mercurio vitæ.

Fit hic, si siue deliquato prius & puriori sic, siue statim butyro, affundatur aquæ simplicis sufficiens quantitas, in vitro conseruali. Inde enim in momento præcipitatur puluis albicans, lacteus, edulcandus probe aqua simplici, & exsiccat in filtro (vbi facile colorem mutat in subflauescentem) sub titulo laudato reponendus, pro emetico vsitato & noto, quamuis ꝑro emetico hodie cedat. Est enim nihil aliud, quam partes regulinæ simul ab acido solutæ & subli-

subli-

sublimatæ sulphureo-terreæ, seu flores vel magisterium, via humida quasi paratum. Datur per se ad gr. j. ij. iij. & cum purgantibus aliis, refracta dosi, ad gr.  $\frac{1}{2}$  vel j.

*Spiritus Vitrioli Philosophicus.*

Colatus liquor acidulus, a præcipitatione mercurii vitæ residuus, aqua simplici affusa sufficienter elutriatus, per se quidem iam in vsum vocari potest; attamen, ne vomitum vel nauseam moueat, quin rectificetur & purus habeatur, opus habet vt destilletur ex cucurbita igne arenæ. Est vero nihil aliud, quam spiritus salis prius in butyro  $\frac{1}{2}$  concretus, ad  $\frac{1}{2}$  sublimationem impensus, iam vero iterum sui iuris redditus & resolutus, liberatus a laudato magisterio.

& hinc liquorem omnem, a præcipitatione mercurii vitæ post solutionem residuum, qui quidem acidulus fit, Imponatur cucurbitæ vitæ, & imposito alembico rectificetur, ad modulum spiritus salis rectificandi, auferendo (1.) propulsum phlegma insipidum, & hinc (2.) seorsim spiritum acidum, itidem striatum, quousque suppetit; qui spiritus  $\Theta$ li philosophicus audit.

Reuera tamen spiritui salis respondet, obtuso vitriolico caractere per additionem  $\Theta$ is in  $\xi$ io sublimato, vt in spiritu  $\Theta$ li salino quoque ad oculum patet. Vfus cum spiritu  $\Theta$ is idem est & communis, tum internus, ad tincturas rosarum, violarum acidulandas & alias, tum ad magisteria, paranda, & operationes similes.

*Bezoardicum Minerale.*

Communiter quidem pro hoc parando in vfu fuit via humida, affundendo  $\xi$ io vitæ liquido, seu butyro  $\frac{1}{2}$ , quod illum secum condit, spiritus nitri parte circiter sextupla, idque prouide & successiue, ob ebullitionem & efferuescentiam, vt hac præuia fixetur puluis, abstrahendo hinc  $\sim$ um nitri, (qui

O

dici-

dicitur vulgo spiritus  $\text{O}$ i bezoardicus, ) & calcinando vltcrius, ac edulcando. Ast præstantior longe est via sicca, tum ad euitandam efferuescentiam, tum ad lucrandum spiritum  $\text{O}$ li philosophicum polychrestum, tum ad minuendos sumptus ac tempus, & longe rectius fixandum mercurium vitæ, antimonialis profapix, ad instar  $\text{z}$ ii diaphoretici procedendo, quocum eiusdem est com-  
matis.

$\mathcal{R}$ . Mercurii vitæ exsiccati q. v.  $\text{z}$ ij. iij. iv. nitri exsiccati partes tres.  $\mathcal{M}$ . in cruciculo per vices ingerendo lenissime detonentur, edulcando hinc & exsiccando. Fit inde medicamentum optimum, albicans, ipso  $\text{z}$ io diaphoretico si non superius, saltim æquale, adeoque eiusdem radicis, iisdemque viribus diaphoreticis, mundificantibus, anthydropicis gaudens, simili item vsu ac dosi impendendum.

Prodit idem quoque, si sulphure  $\text{z}$ ii aurato mediante procedatur, affuso eidem successiue spiritu nitri, & l. a. abstracto, exsiccato hinc edulcatoque puluere.

*Vitrum Antimonii succineum.*

$\mathcal{R}$ . Mercurii Vitæ q. v.  $\text{z}$ β.  $\text{z}$ ij. ij. Locetur in crucibulo, dando ignem fusionis: hinc effusus liquor in vitrum fatiscit, colore flauescente succini, vnde nomen obtinuit quoque. Offert vero se vna particula seu globulus reguli, vnde elementa  $\text{z}$ ii huius vitæ dicti magis patent, regulinæ scilicet, particulæ laudatæ, cum sulphureo-terreis combinatæ, mediantibus salinis acidis sublimatæ & liberatæ. Vfus tamen huius, emeticus puta, paulo mitior & rarior est.

*Antimonium Diaphoreticum, ex residuo Cinnabaris  $\text{z}$ ii.*

Cum vero in retortæ fundo antimonium iterum concretum obseruetur relictum, ex hoc ipso processus ex antimonio consueti obtineri & repeti queunt, adeoque inter hos parietiam inde  $\text{z}$ ium diaphoreticum, omnia simili modo proceden-

den-

dendo ; vt adeo hæc fit velut concatenatio processuum, vt plane nihil frustra sit, quod vsui non inferuiat.

*Mercurius dulcis.*

℞. ꝑii sublimati genuini, ꝑii viui a. v. g. ꝑiβ. hæc enim proportio, ad edulcationem seu mitigationem salium, melior est. M. sensim sensimque terendo, in concha vitrea vel terrea, cum pistillo, eousque donec ꝑius viuus in sublimatum quasi abeat, concorporetur, & ad sensum currere plane desinat ; cauendo interim, quantum fieri potest, atomos acres inde exhalantes, & sternutationem molestant excitantes. Hoc vt præcaueatur, seu halitibus obuiam eatur, & mixtio melius succedat, alii parum vrinæ miscent ; commodius vero, pro re nata, idem, momento saliuæ, vel potius aquæ simplicis, fieri, imo omitti plane potest.

Mixtura nigra hæc indatur cucurbitulæ vitreæ minimæ, & orificio eiusdem charta vel frustulo tegulæ obturato, sufficienti ignis gradu, sublimatorio, in igne arenæ vel e crucibulo in furno anemio propellatur. Ita enim pars volatilior mercurialis in superficie habebitur, pars fixior recrementosa in fundo, in medio vero vel quasi cucurbitæ sublimabitur cohærens circulus, seu pars purior & crySTALLINA, quæ ꝑii dulcis nomine venit, (obtusis & inuersis spiculis corrosiuis salinis, per ꝑii viui ramosas rotundas particulas.) Hæc separata cedit in vsum, vel rectificari pro lubitu potest, vnde delicatior fit, & magis crySTALLINUS, magisque cicuratus ; quod alii vna sublimatione, detrudendo semel iterumque euectas partes, præstant.

Vires habet lenientes, fundentes, renouatiuas, saluationem excitantes, complete & incomplete, anthelminticas, alias : & dandus cum aliis, purgantibus vel alterantibus ; in scabie, lue venerea, vermibus, hydrope, febribus intermittentibus ipsis, ad disiiciendum fermenti coagulum viscidius, præcipue in pilulis, ad gr. v. vj. viij. ℞.

Perinde est, si additione foliorum lunæ, vel auri, fiat, & dulcis lunaris vel solaris, quamuis non tam actu talis reddatur semper, quam purior, nisi repetita vice id impetraueris, alias enim maximam partem in fundo relinquuntur.

## LIBRI SECUNDI

### CAPVT OCTAVVM,

De

### *Salibus Volatilibus.*

**T**andem Euaporatione mediante producuntur & salia Volatilia. Hæc vero vt comitata potius & sociata cum spiritibus vrinosis, (quæcunque enim fundunt spiritum vrinosum, eadem & sal volatile) quam primaria & sola; vt fluida & soluta magis, quam sibi relicta prodeunt, quamdiu humidum, seu aqueum, seu oleosum suppetit; Ita & sub spiritibus laudatis illis, sub sublimatis, & salibus ipsis, diuerso respectu possunt locari & tractari.

Tenerrima omnium sunt in plantis, via humida imprimis vel quasi tali parata; vnde & vix separata, magis vero fluida, haberi possunt, vel expetuntur, vt ex glasto, floribus liliorum conuallium, ruta, cochlearia, &c. Copiosissima ex animalibus, cornibus, ossibus, vngulis, sanguine & vrina, rariora ex mineralibus, habenda tamen nihilominus, ex sale ammoniaco natiuo, sale communi, aliisque.

Quandoquidem vero & solida forma expetuntur, h. l. in censum veniunt: vnde duplici opus est cautela, partim vt obtineantur talia, partim vt retineantur; siquidem vtroque facile liquefcunt & auolant, simul ac a viscedine sulphuris, vel acidi tenaculis liberata fuere, quæ duo iisdem magis solidam formam fœnerari consueuerunt.

Pri-



Prius illud fit, si vel nulla quasi, vel minor adfit humidi presentia, vt seorsim extare & separari sic queant; quod in sale ammoniaco cum cineribus cribellatis via sicca propulso fit, in sale item succini volatili, & aliis. Vel rectificando obtinetur, sale volatili ab humido separato, lento igne, & sublimiori vase, vt in phiola.

Posterius non minus est difficile, fit tamen id quoque non vno modo. Enimvero seruari possunt solida hac sua forma defensa probe ab aere, vel (1.) sola obturatione intimiori, non tam subere & vesica, vt olea asseruamus, quam cera sola & vesica, vel cum operculo quoque vitreo, in vitro angustioris orificii. Par ratio est sigilli Hermetici disti. Et visantur nihilominus, citra aliud artificium, facile in liquorem verti, & auolare tandem, ob sulphur purissimum, particulis plicatilibus minus foeta.

(2.) Per semifixationem, seu abstrahendo spiritum vini vel solum rectificatissimum quasi, vel cū cineribus clauellatis, cum primum solidum scil. terreæ particulæ in iis absint, vt pori eorundem nimis patuli & sic quodammodo sigillantur, & harundem accessione, si v.g. sal C. C. volatile cum C. C. vsto ad albedinem calcinato ana, vel triplo potius sublimentur, repetendo idem bis vel ter minimum, vt a particulis terreis admixtis, corporaturam aliquam sortiantur firmiorem.

(3.) Idem etiam sola crystallisatione feliciter procedit, reponendo spiritum vrinofum saturatum in locum frigidum, donec sensim in fundo sponte affigantur sibi incumbentes crystalli via humida.

Quod vero (4.) attinet perfectam fixationem, ab acidis, v.g. spiritu salis successiue instillato & euaporato; eadem quidem sic impetratur, sed cum immutatione & destructione naturæ vrinosæ, adeoque a scopo & viribus plane deuiat: non aliter ac ex spiritu salis ammon. & spiritu salis hoc modo concretis, fit ipsissimum sal commune; ex aqua forti vel spiritu nitri, & sale Tartari, nitrum.

Vsitatissimum est  $\Theta$  volatile C. C. in sicca forma expe-  
titum: vsumque habet bezoardicum volatilem, vt & cepha-  
licum, antepilepticum, antapoplecticum, hystericum, ro-  
borantem, ipso etiam odoratu faciens officium. Neque e-  
nim differunt salia volatilia viribus generalibus communi-  
bus, sed specificis, vt de spiritibus iam diximus. Tacemus  
reliqua, inter spiritus quoque vrinosos iam delibata.

Pertinet huc & Phosphorus ipse vrinarius, e sulphure  
pansissimo & vnito intime, vrinæ prius putrefactæ & de-  
phlegmatæ, igne extremo cum arena propulsus: quo de su-  
pra iam diximus, scintillatione a motu ætheris libero oriunda,  
& interno inde promotu conspicuo.

Sobrie paulo vero de figuris salium volatilium, destil-  
latione & sublimatione emergentibus, seu vegetabilium et-  
iam fixorum, seu animalium, philosophandum est, ne lu-  
sus salium temere ideis aliis tribuamus. Idem quoque  
sentiendum de viribus salis volatilis viperarum & serpen-  
tum, ne hyperbolice, minus congrua sphaeræ illorum, de  
iis iactentur.

Atque his principaliter absoluitur Euaporatio, tanquam  
prima & potissima operatio Chimica generalis; vti adæqua-  
te eidem ministrat non vna secundaria, Maceratio,  
Digestio, Fermentatio, Rectificatio, Cohobatio, &c.  
per sua vasa & regulas facta.

LIBER

LIBER <sup>( III )</sup> TERTIVS,

De

*Operatione Secunda,*

ACCENSIONE ET VSTIONE.

CAPVT PRIMVM,

*De Calcibus & Cineribus.*

**Q**uemadmodum in Euaporatione ignis vis refracta & modificata est, minusque libera, aucupandis abiturum meditantibus particulis, examini eiusdem commissis; Ita penitus & sola quasi admissa (accensio, flamma) producta offert alia, & nominatim primo loco CALCES.

Enimuero contraria quasi est ipsi Euaporationi Calcinationo, non tam prius, quam posterius, non tam auolans, quam in fundo relictum respiciens. Hinc fundamentum consistit, non tam in exaltatione sulphuris, vt in Euaporatione, quam destructione vel quasi. Exhibent enim partim destructum sulphur, vt quoad consistentiam, partim ita alteratum, quoad vires.

Fatiscunt hinc in puluerem, vel priorem saltim cohesionem amittunt Calcinata, itidem tamen *Αδύρατον* præstantia manifestum. Fixatur sic sulphur, & cum particulis salinis fixis ac terreis remanet, propulsis reliquis volatilibus aqueis, sulphureis, salinis, mercurialibus, vnde non potest non alium modum consistentiæ, coloris, viriumque acquirere.

Magis hinc etiam debetur fixioribus, si non a priori, saltim a posteriori talibus, mineralibus tamen & metallis, præ vegetabilibus & animalibus. Hæc enim sunt tenerioris  
tex.

texturæ, & igni magis præbent pabulum, restantibus nihilominus, post ablatas in rapinam ignis volatiles, & horum particulis fixioribus solubilibus, & minus talibus.

Inde vero destructa penitus forma pristina, color pro calcinationis, fixationis, ipsorumque subiectorum diuersitate, niger, albus, ochreus, gryseus vel rubicundus emergit: sulphuri fixo, cum quietis terreis remanentibus, quoad poros varie lucem admittentes, & substantiam ipsam varianti, debitus.

Et quidem Calcinata alia perfecte sunt talia, alia imperfecte. Illa ignem magis apertum deposcunt, vt sulphur perfecte deflagrare queat figique; concluso vero, nunquam id impetraueris. Et ipse tamen immediatus hic, proportionatus in gradibus requiritur, ac sulphuris mixti genio conformis. In defectu insufficiens deflagratio, imperfecta fixatio, etiamsi quandoque saltem intendatur talis. In excessu in vitrum abeunt calcinata, extremo gradu sulphure fixo reliquo vel quasi, cum terra fluorem indepto.

Calcinantur huic operationi subiecta, vel per se: siquidem ignis contingere sulphur, propellere accensum & subigere, solus valeat; vel accessu aliorum iuuantium deflagrationem, exturbationem, fixationem, separationem &c. vnde Deflagratio, Combustio, Detonatio, Cæmentatio, &c. huc pertinent; singula, vbi opus est, probe obseruanda.

Quædam inter hac calcinata etiam funduntur simul, vt Vitriolum ipsum, sal  $\text{F}$ ri, Nitrum, aliaque: quædam minus. Vnde, ad euitandum hunc excessum, inter ignem calcinatorium & fusorium, enata est merito diuisio, non admitto hoc v.g. in antimonio diaphoretico, non illo in regulo  $\text{g}$ ii & similibus.

Variat item Calcinatio, quatenus vel igne actuali, vel potenciali, & refracto seu humido, peragitur. Illa immediata, hæc mediata magis: vtrobique eodem fine proposito, vt sulphur ex parte, vel ex toto, ad sensum tollatur, immutetur, figatur.

Variat

Variat denique pro diuerso scopo, & subiectorum diuersitate. Hinc in genere quæcunque partes vtilis foenerari possunt seorsim, quarum iactura habetur damnosa, illa calcinantur præuia demum euaporatione, vt ignem mediatum consequatur immediatus, & operatio hæc sit velut secundaria eo casu, exemplo C. C. vsti,  $\Theta$ lis Tartari, Cinamomi, &c.

Neque tamen Calces virtute hinc omni orbæ putandæ sunt, quod sale volatili, vel actiuo sulphure minus gaudent. Sunt enim alcalinæ, & ipsis particulis terreis puris variantes in se, & in hisce miculæ particularum salinarum, sulphurearum, imo & mercurialium fixatarum, conspicuæ sunt ac demonstrabiles. Exsiccant in primis, acido sunt, contrariæ, resoluunt & præcipitant fere in genere.

Sic C. C. vstum, & ebur vstum, sudoriferum est nihilominus, absorbendo acidum fixius exuperans in primis vis, & lympham consequenter rarefaciendo fundendoque, accedente impulsu externo ambientis. Imo calcinata cum eodem folia auri solare, antimonium antimoniatum reddunt; vt alumen vstum ex acidis, exsiccandi & adstringendi viribus præditum, taceamus.

Exemplum dictorum communissimum præbet Calx ipsa Lapidum καλ' ἐξοχὴν dicta, & reliquis nomen largita, quæ egregie elementa earundem demonstrat quoque. Enimvero aufugiunt, propulsæ igne, partes aqueæ alcalicæ volatiles, & sulphur Φλογιστόν. Salinæ vero acidæ & alcalicæ residuæ, sulphuris vinculo amicabili vna dissoluto, vel per fixationem immutato, sic magis nudatæ, & affusa aqua inuicem commixtæ, quamuis intimius poris terræ occultatæ, mox efferuescunt & configunt inuicem.

Hinc aqua calcis viuæ, polychresta illa, Tartareum, secum condit cremorem, quem in superficie etiam exhibet successu temporis. Hinc accessione huius acuantur salia, reliqua alcalia, & corrosiua euadunt magis; quod fundamentum est Lapidis Corrosiui dicti, quatenus in lixiuio sa-

P

pona-

ponariorum, sal illud compositum, acriusque redditum, fibrillas cutis discerpit viscedine exuta, & particulari *νεκρωσει* localiter inducta; vt taceamus vim, Spiritum & sal volatile propulsandi.

Referrī huc possunt & Cineres, crudiori modo spectati, de vegetabilibus imprimis prædicari & fieri soliti: quī salia sunt in fieri, eorumque proximam constituunt materiam; per se vero interne non facile, præterquam in hydropicis, vsitati, iique soluti in vino; cauendo tamen, ne acidum plus iusto exterminando abolendoque, ventriculum lædant, & acrimonia sua salium vim potius augeant. Externe vero in vlceribus pedum & aliis vsū habent, exemplo cinerum Tabaci, & aquæ calcis viuz ipsius.

Ast igne mediato quoque & humido Calces, licet imperfecte tales, consunt vsitate, denominatione facta itidem a sulphure excusso laxato & educto, licet non æque destructo. Cum enim ignis virtutem feminalem destruat simul cum sulphure, & quidem paulo violentius; cogitatum est de mitiori gradu calcinationis immerfuz, seu coctionis, seu infusionis solum cum aqua, aliisque liquidis aptis: vt, quæ eo egeant, sulphure in tantum dempto, masticabilia & puluerabilia hinc reddantur, adeoque corpus afficiant tenerius paulo & efficacius.

Sic ex ossibus, & vnguibus dentibus animalium, hoc pacto educitur gelatina, ipsaque præparantur delicatius: de quibus, & aliis, seorsim exempla dabimus.

*Conchæ præparatæ.*

Loco concharum calcinatarum, (quæ reuera vsitione in calcem abeunt, alicubi & loco communis vsitatam) consultius hodie conchæ hoc modo præparantur: *R.* concharum ex piscinis maiorum, vel minorum fluuiatilium, q. v. (vel harum loco, matris perlarum, concharum marinarum carulescentium, vel ostrearum.) Mundatz a sordibus terreis

reis

reis exterioribus grossioribus, indantur vitro conseruali latiori: hinc affundatur aceti vini bonæ notæ q. s. ad digiti vnus circiter eminentiam. Ita enim hoc breui leniter bullulas excitando efferuescit, & dulcescit, (a nonnullis seorsim expetitur ad destillationem, & suos hinc, nephriticos inprimis, vsus) quatenus particulæ acidæ agunt in alcalinas, superficiales, cumprimis corticofas, & sulphureas vna, fordidiore extimas, puluerisationem vna remorantes, ventriculo magis oneri futuras, quam vtilis. Neque tamen alcalinæ reliquæ immutantur. Stent itaque infusæ per vnum alterumque diem, repetita etiam pro re nata aceti affusione, donec acie cultri fordes corticosæ facile auelli, & abrada radice possint. Sic mundatæ & albidæ puriores redditæ, aqua simplici elotæ, exsiccentur, & reponantur ad vsum.

Puluis inde paratus, vt splendore conspicuus, & hoc dignoscendus, ita polychrestus est, præcipitans, absorbens, edulcans, febrifugus, stomachicus, acido fixiori ventriculi exsuperante, hypochondriaco & febrili, imo leniter anodynus. Idem & lixiuio, sed fortiori, alii aggrediuntur; quo tamen fere non opus est. Exterius dentifricus est, vtrouique varie miscendus.

*Cornu Cerui Philosophice preparatum.*

℞. cornua cerui decidua q. v. hæc enim maturiora magis, & sic sale volatili ac sulphure magis foeta sunt. Scindantur ferra in frustra digiti longitudine, & affusa aqua simplici, in aheno vel olla ænea aliaue coquantur, per vnum alterumque diem, subinde aquam gelatinosam decantando, (quæ alias cum rasura puriori facta, gelatinam cornu cerui constituit) coctionem continuando eousque, donec exterior cortex nigricans deglubi facile & integre, & emedullari interior pars, nigra itidem, queat, mediante cultro. His enim partibus grossioribus & impuris remotis, accedente ablutione cum aqua simplici a viscedine reliqua, habetur

C.C. residuum album tenerum & masticabile, exsiccandum & reponendum ad vsum diaphoreticum, bezoardicum, alterantem, epilepticum. Basis est pulueris bezoardici maioris & minoris, aliorumque similibus.

Eadem ratio est eboris sine igne, dentium apri, hippopotami præparat. nisi quod facta coctione reponuntur dentes in fornacis calidæ aream seu superficiem, vnde crepant in partes, & sic fissi, sufficienter humore exutos ac puluerabiles sese monstrant.

*Antimonium Diaphoreticum.*

Celebris præ aliis est calx antimonii fixa, antimonii diaphoretici nomine. Vtut vero quidam solo etiam igne, imo solari, pondere, vt sibi fingunt, aucto, calcem illam impetrare satagant, aliis via humida præuia cum aqua forti placeat; compendiosius tamen fit via sicca, additione nitri, tanquam corrigentis genuini.

Ita enim vtriusque huius combinatione, admiffa debita flamma, & sulphur antimonii, quod copiosum habet, deflagrat, & partes mercuriales regulinæ, in auras propulsis acidis, simul cicurantur intime, & fixantur vtraque, relicto puluere calciformi eleganter candicante. Et olim quidem id fiebat triplici discreta calcinatione antimonii, semper aua recipiendo nitrum & antimonium, quo factò quidem successiua immutatio (exemplo croci metall. puri, seu vitri antimonii punicei) visitur in vitrum & calcem; Sed compendiosius & rectius id fit hodie vna simplici calcinatione, & quidem triplo nitri pondere.

℞. antimonii Hungarici partem vnam, v. g. ℥iv. Nitri puri & bene exsiccati partes tres, seu ℥xij. Puluerisata M. in mortario accurate. De hac mixtura, in crucibulum primæ magnitudinis, in furnum anemium locatum & prius candefactum, ingeratur per vices particula, ad ℥ij. vel ℥ß. circiter, mediante cochleari ferreo, probe obseruata, semper detonatione, seu deflagratione sulphuris. Nota hinc,



hinc, dandum esse ignem non fusionis, sed calcinatorium, saltem: Sin secus fiat, facile vel effunditur penitus materia, vel in vitrum faceffit, nitro imprimis paullo humidiores.

Postquam hinc tota mixtura fuit ingesta, feruore crucibuli aliquantum remisso, pars post partem eximatur ex crucibulo, & in ollam puram vitreatam, aquæ fontanæ mensura vna vel altera repletam, indatur, cauendo disputationem, denique & ipsum crucibulum integrum.

Fit hoc ipsum ad elixiuationem nitri, & separationem sordium: hinc vbi per noctem circiter in aqua steterit, auferuntur, a crucibuli summitate interiori, sordes impuræ nigricantes, vel quasi, sollicite cum cultro, facile alias vomitum mouentes, & coloris elegantiam perdentes. Calx vero antimonii, cum aqua mixta, in filtrum chartaceum duplicatum, vel triplicatum, successiue infundatur, quantum illud elutriando a grossioribus particulis, in fundo subsidentibus & residuis, haberi potest, vt lixiuum reliquum nitrosum traiciatur. Affusione repetita aquæ nouæ edulcatione facta, exsiccetur sensim quod in filtro relictum est, & asseruetur in vsum.

Ita enim perfecte paratum  $\frac{1}{2}$  diaphoreticum, est fixum, præcipitans, carminatiuum, dissiuens, renouatiuum, resoluens, polychrestum, tutissimum, in scabie, febribus, pleuritide, vlceribus, abscessibus, soda, &c. laudatissimum, ad  $\mathfrak{ss}$ . gr. xv. & amplius dandum. Perinde vero est & eiusdem commatis, si loco  $\mathfrak{ii}$  simplicis, recipiatur caput mortuum clyssi  $\mathfrak{ii}$  sulphurati, vel cinabaris antimonii, imo &  $\mathfrak{x}$ ius vitæ, & regulus quoque ipse  $\mathfrak{ii}$ , simplex & compositus. Hinc enim aliud præ alio elegantius & delicatius consurgit, omnia tamen hæc sunt affinia & symbolica. Eodem enim sale nitroso confit

*Bezoardicum Minerale*

simplex, & hinc compositum non vnum, maiori compendio, lucro, & tantum non virtute.  $\mathfrak{x}$   $\mathfrak{ii}$  vitæ  $\mathfrak{ss}$ . ij. iij. additur

P 3

nitri

nitri triplum, procedendo similiter per omnia. Nulla enim est differentia, nisi quod, ob sulphuris paucio- rem copiam, detonatio longe fit mitior. Liberum etiam est, sed minus fere necessarium, utrobique ignitionem paullo continuari, ad meliorem fixationem & albedinem. Par ratio est

*℥ii Diaphoretici ex Regulo,*

seu Cerussæ Antimonii. In singulis enim his, & aliis dicendis similibus, acidum nitri figit & destruit mercuriales regulinas alioqui noxias particulas, sulphureum vero deflagrationem iuuat. Vtius etiam procedi potest non solum per se, sed etiam in parando

*Magisterio Antimonii Diaphoretici.*

℞. ℥ii diaphor. hactenus parati, citra edulcationem vllam, q. s. Affundatur per dicta aquæ simplicis itidem s. q. Coquatur ad ignem l. a. non excessiue tamen, hinc per filtrum traiciatur, & præcipitetur cum aceto destillato: inde enim purius, delicatius, candicantius fit; reliquo nihilominus pro ℥io diaphoretico sufficiente & impendendo.

*Nitrum Antimoniatum, seu anodynum*

E singulis his, maxime vero e lixiuio antimonii diaphoretici, fit. Elutriatum enim hoc & purum, inditum sartagini ferreæ, leni carbonum igne euaporetur, more salium, vel simul ac semel, seu plenarie, vel ultra dimidium, donec saturatum sit magis, & in superficie pelliculam contrahere videatur. Hinc inditum vitro latiori loco frigido reponatur, concessa mora, vbi consurgunt crytalli elegantissimi, si rite processeris, etiam quadrangulares & sexangulares, pro v- sibus variis.

Prodest enim partim per se, interius in æstu viscerum, angina, febribus, excepto eo casu, vbi vel ventriculus debilior & alius laxior, vel serum citatius defluxionem, tussim, vomitum & similia efficit. Ingre- ditur & epithemata  
fron-

frontalia, & gargarismata, in ardore, siccitate, inflammatione & tumore faucium; seu cum aqua simplici, seu appropriatis saluix, semperuiui, plantaginis &c. soluantur; item in clysteribus, loco stimuli & alterantis simul, & ad arcani duplicati pro re nata confectionem, quamuis minus recte.

*Bezoardicum Solare, Iouiale, Martiale.*

Ex compositis bezoardicis mineralibus, Iouiale, Martiale & Solare, magis in censum veniunt, quamuis & Venerum Martis accessione sit innoxium. Ad horum vero preparationem noscendam, faciunt exempla ꝑii diaphoretici, & bezoardici Mineralis simplicis. Duplici enim fere modo eadem parare licet, vel maiori apparatu & via humida, cum butyro antimonii, seu miscendo solum v. g. successiue solutionem auri (per aquam regiam factam) cum butyro antimonii, quo de videatur Zwelferus & Rolincius; seu regulum ꝑii Martialem & Iouialem propulsando cum ꝑrio sublimate in butyrum, & hinc figendo, eodem plane modo ac in Bezoardico minerali simplici vulgari methodo proceditur. Vel minori apparatu & via sicca, quod distincte etiam consultum est efferre & præscribere, imprimis vero nosse differentiam, vires, & genuinum præparationis factæ modum. Ita enim fit v. g.

*Antihædlicum Poterii.*

Vtut partim accessione Martis, partim ipsius Saturni, imprimis vero Solis, magis compositum hoc fieri possit medicamentum; ad mentem tamen ipsius auctoris primi, & vfitatiorem modum, sic præparatur: ℞. reguli ꝑii partem vnam, seu ꝑß. Iouis Anglici partes duas, seu ꝑj. M. mediante fusione in crucibulo, vt fiat regulus compositus, & hinc puluerisata, cum nitri triplo, in calcem eodem modo redigantur, ex albo cœrulescentem. Ita enim a mercuriali reguli ꝑii natura stannum redditur fragile, & fusione hac & calci-

calci-

calcinatione cum nitro exuitur a sulphuris viscedine, ipseque regulus vna figitur.

Prodest in dispositione phthifica, & affectibus hysteri-  
cis, virtute temperandi & discutiendi conspicuum. Phthi-  
sicis vero & Hecticis, cum humectantibus, vt conserua  
rosarum, in electuariis & in potionibus; magis item in  
principio, & vlcere pulmonum, quam atrophia alia, id-  
que minori dosi ad gr. v. vj. ℞. ad summum: in hysteri-  
cis, cum præcipitantibus aliis dandum. Cumque reguli non  
alia consideratione, quam calcis fixæ, h.l. considerentur,  
& supponatur tantisper eorundem præparatio, pertinet huc  
omnino etiam.

*Antimonium Martiale cachecticum,*

seu Bezoardicum Martiale flauescens, via hac sicca ad imi-  
tationem antihectici Poterii paratum. Vti enim & Bezoar-  
dicum Martiale, ex regulo ꝑii martiali stellato sine scoriis,  
elegantissimum & album parari potest eodem pacto, saltim  
Martis radiis fœtum, si non grossiori substantia; ita & cum  
iisdem, tam ex parte remixtis cum regulo, quam ex toto  
in scorias redacto, parabile est. ℞ ꝑii partes duas, seu ꝑiv.  
limaturæ Martis partem vnã, seu ꝑij. Fundantur simul in  
crucibulo, vbi regulus apparet in fundo. ℞ hunc vnã  
cum scoriis & partibus metallicis conjunctim q.v. nitri tri-  
plum, procedatur sæpe dicto modo. Sin regulo puluerifato  
addatur iterum Martis pars vnã, seu ꝑij. & fundatur, omnis  
quasi in scorias abit. Notandum vero, hunc posteriorem mo-  
dum, facile inter calcinandum fusionem inuitare.

Inde fit remedium sudoriferum, renouatiuum, & con-  
fortatiuum viscerum optimum, particulis antimoniatis fixis  
& martialibus fœtum, in scabie, cachexia, hydrope, inpri-  
mis cum arcano duplicato mixtum, in fluxu hepatico, fluo-  
re albo, gonorrhœa virulenta, scorbuto, aliisque casibus fa-  
tis insigne. Dosis est ℞. gr. xv. Idem dictum esto de Be-  
zoar-

zoar-

zoardico Solari, ex regulo eodem Oli, cum auri subquadruplo v. g. parato, quo de videatur Zwelfferus.

Referrī huc potest & Opium calcinatum, seu, vt vocari potest *ἀνύγως* paulo,

*Sulphur anodynum fixum.*

℞ Opii puluerisati q. v. v. g. ℥ij. Imbibatur oleo vel spiritu Oli q. s. vt impastari inuicem queant: hinc in crucibulo ad ignem carbonum effumet, & deflagret ex parte sulphur, sal & gas distillabile, tecto tamen pro lubitu crucibulo, eousque donec residuum & friabile redditum puluerisari, & ad vsum seruari puluerisatum possit; dandum vel per se, ad gr. j. vel ij. etiam largiori dosi ad ℥ss. gr. xij. vel miscendum cum pulueribus bezoardicis, epilepticis, aliisque.

Nota, idem facilius fieri posse, ad eundem modum, ex capite mortuo extracti opii, impastando & calcinando similiter. Deflagrante enim sic utrobique sulphure & sale volatili maximam partem, pars reliqua fixatur, & sic non nisi valde castratas post se relinquit vires, vsu tutissimas.

## LIBRI TERTII

### CAPVT SECVNDVM,

DE

### *Salibus Alcalibus fixis.*

CVM accensione & combustionē Sulphur, tanquam vinculum rerum & commune tenaculum, destruat; hoc ipso aditus patet intimior, ad inibi recubantia residua & recondita salia, ministrante postmodum solutione & coagulatione eruenda.

Ne vero quis putet, Ignem esse salium fabrum solum, tenendum est, obstetricari quidem eundem, non vero pro-

Q

ducere

ducere absolute. Formale largitur ignis, & in apricum sistit, seu occultum facit manifestum; materiale mixtis omnibus inest, magis vel minus.

Hinc non solum ignis vis limitata est, ad subiecti ipsius conditiones adstricta; verum etiam via humida, citra ignem, Salia e quibusdam proliciuntur, quæ sub Essentialium titulo (vti Sal quoque est de essentia materix secundæ) vel Tartari quoque, veniunt communiter. Ex nullo id rectius elicitur, quam ex herba Kali, vnde & nomen indepta sunt, quandoquidem vel expressione succi, vel decoctione & subsequa hinc decenti euaporatione, id impetratur, ne de saccharo ipso, & sal alcali natium in thermis haberi, & ipso sale ammoniaco natiuo, dicamus.

Cumque Salia non vnus sint generis, recondita magis videntur & aliorum velo sigillata Alcalia, amari, acris, acidi & insipidi ipsius. Vbi vero magis eminent, vt in falsis, ibi quoque via humida haberi magis possunt, & contra.

Si itaque genesin Alcalium spectemus, in genere hic repetendum, in mixtis non vniforme Sal, sed ex acido & alcali diuersimode constitutum, sub Sulphuris iugo vnitum reperiri; in aliis hoc, in aliis illud magis obuium, & pro diuersitate temperiei huius sapes & vires mire variare.

Nec ab Oleis immutatis & combustis consurgunt, nec a Sale volatili ab acido comite fixato, siquidem sic Enixa forent, vel Ammoniacalia; sed ipsa prius presentia, quæ antea consistentiam simul largiebantur, per *Alkali* abstracta ex concreto, in sensus hinc incurrunt: vt taceamus, distinctim acidum propulsari ab igne, distinctim elici Salia alcalia ex capite mortuo, distinctim haberi, vel deflagrare Olea.

Et licet sapore emineant, cum tamen Sulphur omnibus sociatum sit, Salia magis expromuntur, solum a vinculo hoc centraliter liberata, quando scilicet accensione facta sulphur  
defla-

deflagrat vel abigitur, non minus ac partes aqueæ & volatiles salinæ, acidæ & alcalicæ ( exemplo fuliginis ) terreæ vero in sinu suo fixiores recondentes particulas resistunt igni, & tenuatas dispersasque tam sulphureas aliquas, quam fixa in se nec adeo euoluta salia continent, quorum coalitu enascuntur, quæ dominium super terreas & sulphureas sortita, beneficio aquæ vnita, prius dispersa, discontinuata, immutata aliis erant.

Hinc Vegetabilia quidem omnia combusta & incinerata præbent Sal alcali, non tamen nisi selectiora quadam huic vsui sunt destinata. Quæcunque nempe salinum & terreum principium fixius iamdum præ se ferunt magis, seu sapore imprimis amaricante, vt absinthium, carduus benedictus, centaurium minus; seu pondere quoque maiori, & acidulum spirante, vel gustu tali fixiori qualitate prædita sunt, grauiora item & compactiora copiosius præ reliquis sal exhibent, & vsitatus pro hoc præparando inseruiunt, vt Tartarus, lignum quernum, &c. Quæcunque contra plurimo pollent sale volatili, minus fere fixo abundant, vt animalia, succinum, cochlearia ipsa.

Parantur ergo tum ex lignis & arboribus, vt cineres & lixiuia in varios vsus, ita & Salia; tum ex herbis quoque, earumque partibus. Illorum instar sunt cineres clauellati dicti, quamuis ἀνώγει paulo: sunt enim nihil aliud quam sal alcali, ex cineribus lignorum domesticorum, elixiuando productum: quod lixiuium ab euaporatione in sal, furno peculiari igne aperto, ad alborem & cærulescentiam reuerberatur, ab aere defendendum, salis Tartari in non paucis succedaneum.

Processus vero salium absoluitur (1.) Incineratione, eaque perfecta, non defectu, nec excessu peccante. Quamobrem plantæ recentes combustæ, copiosius quidem videntur sal largiri, sed impurius, non sufficienter deflagratione absumto sulphure. Contra ea cineribus fortius exustis, sul-

phuris fit exaltatio, salium vero depressio, colore carulescente emergente nonnunquam. Sulphuris vero communis additamento incineratione facta, Salia quidem puriora, sed immutata fere confurgunt magis; unde, si id nihilominus facere placeat, minori quantitate addere fas fuerit.

(2.) Subsequitur Elixiniatio & Filtratio, elutriatis sic & solutis intime beneficio aquæ & sinu terrearum solubilibus particulis, seu salibus a calcinatione restitantes terreis, seu capite mortuo, pro se nata, denuo calcinationi subiiciendo.

(3.) Euaporatio, simultanea quidem & præcipitata, confusa & ἀμορφα salia, successiua crystallina præbens, eaque nitidiora, & minus deliquio seu solutioni ab humido aëreo obnoxia: quatenus, euocatis sensim humidis detinentibus, sui iuris redduntur salia, & corporaturam pristinam recuperant, coalitione particularum vnitarum homogenearum facta.

Incinerantur ergo a priori sicca foco aperto, vt deflagrante sulphure lixiuium limpidum habeatur. Vbi vero aqua, spiritus, vel oleum huius vel illius expetuntur, vel vtilem nauare queunt operam, præuia destillatione habentur salia, a posteriori, ex capite mortuo, exemplo salis cinnamomi, Tartari &c. modo aperto hinc igne nihilominus sulphur, prius comburatur & deflagret.

Nota etiam, fixa salia minus integra solui in liquore, crebriori vero solutione & euaporatione repetita, penitus in terram, ceu suam matricem, inuersis spiculis verti posse. De viribus vero tenendum est, seminalibus illis & specificis alcalia fixa orba esse, ob sulphur matricem seminum & sal volatile destructum; sed aliis tamen absorbentibus, aperitiuis, saponariis, stimulantibus, diureticis, diaphoreticis, febrifugis in genere gaudere.

Conueniunt omnia & per se, & cum volatilibus communi virtute, in contrarietate acidorum, in efferuescentia

tia



tia & conflictu, viribus item ex parte rarefactiuis sanguinem. Differunt vero diuersis gradibus miscelæ, actiuitatis, figurationis, & consequenter præcipitatione & sublimati soluti: quod volatilia minori portione terræ sint illigata, & pansissimum habent sulphur, fixa vero itidem alia magis, alia minus terrea oleosaque sint, vnde & in viribus quædam diuersitas specifica concipi & concedi potest.

Evidentissime id patet, in turpetho minerali per præcipitationem parato: quandoquidem, licet v.g. tincturam violarum &  $\ominus$  fixam, & spiritus  $\ominus$  ammon. volatilis mutant in colorem viridem; tamen spiritus  $\ominus$  ammon. solutionem & sublimati vertit in turpethum album nobis dictum, alcalia fixa in flauum: & id quidem non vno modo coloris, quo de Tachenius videri potest. Exempli loco esse potest

*Sal Absinthii, Centaurii minoris, Cardui benedicti,  
Artemisia, &c.*

℞ Herbam probe siccatam cum caulibus, hanc vel illam, accendantur in foco culinari prius mundato, partem post partem iniciendo, donec totum accensum perfecte in cineres fuerit versum, sponte extinguendo igne, & sibi relicto aceruo, citra motitationem. Hinc fiat elixiuatio, affundendo s. q. aquæ simplicis. Lixiuum hoc filtratum, limpidum & purum, euaporetur successiuo igne carbonum, vel simul ac semel, vel quod melius est ad dimidiam, ad tertiam vel quartam partem, pro puncto saturationis diuerso. Hoc neglectim quasi in fornace, sufficienti concessa mora, ad crySTALLISATIONEM reponitur, vt sic sal crySTALLINUM, vel quasi tale, alterutro modo in fundo appareat; asseruandum ad vsum.

Idem fieri potest in cella, sed tecto probe vitro. Et præstant hinc Salia hæc probe præparata & simpliciora crebriori depuratione, modo infimum oleosius quasi & spissius lixiuum remoueatur, vel non adeo attendatur, quod

℞

iii

in Crystallisatione optime perficitur. Composita vero a priori, per simultaneam calcinationem plurium plantarum, minus sunt in usu, nec necessaria, ut & lixiuia ipsa fere; nisi forte id velimus præstare pro Hydropicis curandis, faciendo inde lixiuium benedictum, vbi tamen pauciora suffecerint.

Caput mortuum cinerum elixiuatorum, pro lubitu vterius calcinari in crucibulo, & repeti semel labor potest. Speciatim sal Absinthii, & laudata reliqua, acidum ventriculi fixius, & fermentum peregrinum exsuperans corrigunt; vnde in hydrope, febribus intermittentibus, lumbricis, &c. officium faciunt, cum pulueribus alterantibus, purgantibus, febrifugis, imo & infusis quandoque ipsis remixta, & potionibus; minus vero in tussi, & lymphæ fluoribus similibus, conueniunt.

Sal Tartari spiritus proprii superpondium est, elegantissimas crystallos exhibens, nisi pro usu extemporaneo idem calcinato in fornace. Pro parare placeat, ex ipsis quoque fecibus vini, & cineribus vitium habendum, morem Basilii Valentini & aliorum sequendo. Pollet usu multiplici, in bulimo, cum purgantibus aliquando, in febribus, sed parcius fere per se interius. Inprimis enim inseruit, ad eximia alia inde paranda medicamenta. Sin liquida forma expetatur, facile deliquium patitur, in vitro latiori aëri libero commissum, ad cosmetica etiam & vnguenta vsitatum. Referri huc potest etiam.

*Alkali Nitri.*

Postquam enim spiritus acido-sulphureus, ab iniectis sulphureis inflammabilibus, vel quasi talibus, quibuscumque prompte exardescit & deflagrat, absumptus est, hoc ipsum remanet: ut & eiusdem commatis sal ex Nitro & Tartaro, qui ipse φλογισόν suum sic confert prompte, deflagratione confurgens.

Vti enim Nitrum prompte accenditur & deflagrat, modo

do

do sulphur in eodem latitans vel corpore fieri, vel expandi, exaltari ac excuti alio sulphureo, sulphureo-terreo, vel sulphureo-salino possit; ita id in primis ipsis carbonibus, sulphure ipsisissimo factis, praestatur. ℞ Nitri q. v. v. g. ℥ij. iv. Inditum crucibulo, moderato igne carbonum fluat: hinc per vices addatur particula carbonum non candentium, quae mox accensa saliendo consumetur. Idem repetitur successiue, eoque donec cum sulphure carbonum, sulphureum acidum nitri sit consumptum penitus, & carbo iniectus amplius non accendatur, nec saliat; vnde nitrum fixum, seu potius alcali nitri audit.

Vsus coincidit cum aliis Alcalibus, speciatim vero, licet Alcahest nomine non nisi *αλχηστ* gaudeat, adhiberi potest ad essentias vegetabilium balsamicas, vt helenii vel angelicæ, extrahendas; vt & ad ipsum sulphur ℥ii, & inde sal (vt quibusdam placet,) parandum. Deliquium vero prompte patitur, instar salis *ϕρι*, ab humido aëreo, cuius magnes est quoque, vel actu affuso.

Ipsè vero liquor Alcahest Helmontii, adhuc inter quæ sita Chimica numeratur: siquidem processus a Ludou. de Comitibus caro pretio venditus, ex *ξιο* sublimato & *Θε* ammoniaco, cuius vestigia apud Paracelsum ipsum extant, tædiosus admodum est & dubius. Nec ex terra pingui destillatus spiritus, licet ad auri extractionem adhibeatur, vel butyrum quoque ℥ii aliaque, encomia illa menstrui vniuersalis adimplent. Referri huc potest

*Terra Nitri dulcis,*

vulgo hodie sub Magnesiæ nomine nota, præcipitans, abstergendi, & leniendi sic vsu multum commendata:

℞ Matricis nitri, seu lixiuii vltimi, a nitrariis habendi, qu. v. Euaporetur in sartagine terrea ad siccitatem, hinc calcinetur in crucibulo, edulcetur l. a. & exsiccetur. Dosis ℥β. ℥j. & vltra.

LIBRI

## LIBRI TERTII

## CAPVT TERTIVM,

De

*Crocis.*

**I**nfigne specimen Calcinationis exhibent & Croci, seu perfectam suo modo, seu imperfectam potius vocemus. Audiunt enim ita a sulphure fixo terreo, per calcinationem non tam destructo quam retento, in puluerem redacto, & vna exaltato. Sunt enim puluilli metallici, seu ochreo-falini calcinati, si non explicite semper, vt in croco ꝑis albo saccharino, tamen implicite & in recessu colore hoc conspicuo.

Quod enim tincturæ sunt in humido, id Sulphura & Croci inprimis sunt in sicco vel solido, a calcibus non nisi colore, subiecto & viribus hinc, differentes. Croci autem a colore obtinere nomen, primario quasi flauo seu croceo gaudentes, hinc & rubro, facile altero in alterum transeunte, adæquate albo ipso & nigro; parabiles ex omnibus tinctis, seu sulphure tali abundantibus metallis; rarius quidem ob pretium ex auro, adde & ob fixitatem maiorem, frequentissime omnium ex Marte parabiles, ex Venere vero, ob ventriculi auersationem, pro vsu interno minus.

Martis enim tinctura, & hinc quoque Veneris, teste Basilio & experientia, non solum inexhausta quasi, & ipsi Auro contra copiosa est, sed etiam quam maxime variabilis: primario quidem interius, seu in se, quoad particulas sulphureas, hinc pro varia lucis in poris refractione, etiam ad extra, hinc vero porro & in accessoriis, parandi modis, & consequenter viribus.

Idem tamen nomen etiam tribuitur duobus potissimum mineralibus, Vitriolo, in effectu & re ipsa, Antimonio vero tan-

tan-

tanquam primo enti metallorum, saltim in nomine & analogia sulphuris terrei. Vitriolum enim nihil aliud est, quam sal acidum, cum miculis seu croco Martis vel Veneris, vel vtriusque quoque concretum; quo separato, idem sui iuris redditus, reuera cum croco Martis idem est.

Testantur id experimentis suis, non tam terra Oli dulcis, quæ ipsissimus est crocus, seu sulphur terreum fixum; quam liquor martialis æmulus, ex colcothare cum sale ammon. sublimato factus, iisdem phænomenis gaudens. Imo Vitriolum quodcunque, vel Martis seorsim, leni calcinatione abactis sic particulis aqueis acidisque, adeoque & caput mortuum eiusdem crocum ex tempore exhibet.

Vtque in Vitriolo crocus Martis est passus magis & obuius, neque enim eget comminutione tali & tanta particularum, ac Mars ipse sub alia saltim facie ludens, salino sub iugo & vestitu; ita in Marte maiori apparatu quasi opus est, vt in apricum, vel ipso comitatu Vitrioli & præparatione præuia, concedat.

Et huius quoque consideratione & intuitu vnico, a priori in aperitiuum & adstrictorium potissimum diuiditur: vt taceamus præparationes croci Veneris, quæ bonam partem cum Martis præparatione coincidunt, exemplo æris vsti & viridis æris, qui crocus omnino est Veneris expansus, vel illum secum condit: vt vitriolum quoque Veneris via sicca paratum.

Quod vitium ferri est quasi, rubigo, Crocus est: quatenus sulphuris fixi, malleabilitatem cum terra largientis, fit non vno modo disiectio. Conferunt hinc ex elementis, Aqua & Ignis potissimum, exemplar viæ humidæ & siccæ.

Vel sola enim aqua adspersa, Mars in rubiginem resoluitur: quod cum sine acido fiat, nonnulli seorsim suum faciunt, & in vsum vocant, æstimantque, quasi crocum Martis sine acido. Quod enim aër idem præstat, fit ob humidum ipsum quoque. Ita vero Sal vitriolicum panditur.

R

pori

pori laxantur , sulphur plicatilitatem metallicam sensim exiit, & sic in puluerem ferrugineum seu Crocum fit conuersio.

Idem de Igne quoque solo vel quasi verum est. Hic enim & in sulphuris globulos agit, eosque diruit motu suo citatissimo, idem diuerberans, & vnitatem eiusdem aquabilem soluens, parietes pertundens, & acido humido lignorum siccoque sulphuris carbonum, longe præsentius id præstans.

Adeoque etiam per se Martem in Crocum vertit, longior puta & fortior, eumque magis adstringentem, (ob minorem vitriolitam, maiorem terreitatem) qualis optimus est mollis, rarus & spongiosus, in fornacibus metallicis reperiendus, & alium hunc illum crocum tum iuat, tum immutat, & vario colore impertit.

Præter ignem, Salia croco Martis parando velificantur, primario acida, via sicca & humida, non nisi adæquate vero alcalia, quæ tamen magis fere ob humidum aqueum iunctum, quo cum soluta asperguntur limaturæ, & secundario id faciunt, quam sua natura, vnde & crocus Martis cum Salibus audit.

Alcalia enim parum vel nihil respectiue iuris habent in Martialia: vnde nec Mars cum sale alcali calcinatus, tincturam de se emittit, quin inde etiam melioratur alias, (v. g. a sale volatili cornuum) nec poris præclusis amicis alias sulphuri salibus patet aditus. Beneficio vero aquæ admissa eadem, (vel borax quoque ipsa) alterant & iuuant quoque expansionem suo loco, crebriori & successiua aspersione laudata.

Acida vero dicta, dum in terram sulphuri intime maritatam agunt, etiam h. l. crocum facile pariunt, quod debilitatum hoc alterius iugo resistere minus possit. Et crocus Martis aperitiuus quidem potior fere audit, qui talis est partim ob absorbentem virtutem & saturantem, acidum figens inuertendo & edulcando, per mechanicam, vnaque villos nerueos roborando; partim ob vitriolicam salinam  
natu-

naturam, unde fluxiliores redduntur humores prius quieti, ob stimulum hunc additum, modo corpus lymphæ non nimis sit exhaustum. Sic exempli loco fit.

*Crocus Martis sulphuratus.*

℞ Limaturæ Martis finæ, sulphuris communis in magdaleonibus, a. q. v. v. g. ℥iv. Pulverisato sulphuri misceatur per intima limatura Martis, & in crucibulo apto igne rotæ, seu carbonum, circumdato leni, calcinetur Mars, deflagrante, accenso sulphure, & sic gas acidum rosium per corpus Martis didente & expandente, per vnam alteramque horam, eousque nimirum, donec sulphur prius accensum, extinctione spontanea, perfectam calcinationem ostenderit, continuanda adhuc paulo ignitione, ad sulphuris deflagrationem consummatam. Id enim nisi fiat plenarie, facile hinc ructus mouet ingratos, instar ouorum putridorum.

Hinc exempta massa nigricans, vel ex nigro in superficie rubella, pulverisetur in mortario terreo, & cribellatus vel tritu etiam lauigatus puluis, quousque alcoholisatio fieri potest, separatis grossioribus minus calcinatis vel subtilibus, seruetur ad vsum, non quidem solitarium, sed varie miscendum, in pulueres cachecticos, aperitiuos, hepaticos. Talis est cinnabarinus, boracinus, tartareus, ambratus, aliisque modis variandus, cum & sine oleis destillatis appropriatis: ad aperienda hypochondria, menses, hepar, lienem, pancreas & mesenterium, vterumque; ad cachexiam, scorbutum, hydropem, icterum, suppressionem mensium, chlorosin, paralyfin & alia, polychrestii & eximii vsus.

*Crocus Martis per fusionem.*

℞ Chalybs bonæ notæ, redigatur in bacillos oblongos teretes, qui igne carbonum cum folle igniantur fortius, ita vt vltimum quasi fusorium seu perfectum gradum subeant. Hinc super incude forcipe detentis, subdito vase ligneo

R 2

aqua

aqua repleto, affricentur magdaleones sulphuris integri. Ita enim in momento fusionem subit Mars, vnaque calcinatur, & cum particulis seu strigmentis sulphuris, hinc separandi, granulatus vel globulatus in aquam decedit. Sic calcinatus puluerisari potest, in crocum Martis aperitiuum. Notandum vero, crudiorum & grossiorem longe esse hunc ipsum præ priori illo, vnde eidem merito cedit, magis hoc modo expetito pro examine Martis docimastico. Sin in vsum aperientem medicum impendi nihilominus debeat, nisi prius aliquandiu & denuo ad sulphuris reliquias abigendas calcinetur, ructus nidorulentos fœtidos sulphureos longe magis abunde ciet. Licet etiam inde parare adstringentem crocum, si puluerisatus in furno reuerberii, vel figulino, ad rubedinem vsque reuerberetur. Præstat tamen, minori apparatu factum illum eligere, vti etiam crocum Martis natium, vulgo minus notum, alteri vel substituere, vel præferre omnino.

Fundamentum vtriusque consistit in igne duplicato, imo, si potentialem seu acidum respicias, triplicato. Sulphur quippe comune accensum, gas suo acido sulphur Martis terrenum, plicatile & consistentiam fœnerans, hoc ipso destruit. Vna vero sic & acidum corpore fit, in sicco licet, vt vitriolescat hinc crocus, & idem processus quoque fit pro vitriolo Martis eliciendo, magis tædiosus tamen. Sufficit, in croco Martis aperitiuo, partes vitriolicas, terreas & sulphureas constractas præstare, quod inde expetimus. Ita &

*Crocus Martis saccharinus*

fit, si laminis Martis quadratis oblongis, parietibus aliquantum lateralibus instructis, ne effluere possit liquor, infundatur spiritus vitrioli, inprimis sulphureus simul, q. s. Stent per aliquot dies loco inprimis calido, repetenda pro re nata infusione, vt, sensim sensimque aggrediendo corpus Martis, spiritus acidus dulcescat, corpore fiat, & crocum saccharinum sic colore & sapore vitriolico, seu vitriolum Martis in recessu croceum, in superficie album, partes vitriolicas cum

cum



cum terreis remixtas, exhibeat. Hoc sublato & abrafo, repeti potest processus, ad sufficientem ex voto copiam impetrandam. Vires aperitiuæ & roborantes eidem quoque conueniunt, varie cum purgantibus inprimis ipsis miscendo. Quod si igni exponatur hic ipso in crucibulo, inde fit crocus ruber elegans, seu pro astringente, seu aperitiuo ipso habendus.

Croci Martis via humida exemplum præbet acetum acidum mite, quod recludit Martem, eumque ad agendum aptiorem reddit, utpote resolubilem, accedente inprimis ipso tritu, ad hoc crocum ipsum sulphuratum, vel potius limaturam Martis simplicem per infusionem impendendo, euocata simul tinctura, si quis ita velit. Imo longe plurimi hinc sunt modi crocum Martis parandi, tum cum Vitriolo eiusdem communes, tum alii.

Pertinet huc præcipue cum Sale ammoniaco paratus, coniunctim cum floribus & liquore consurgens. Ita enim habetur crocus Martis, non solum flauescens, si residuum a liquore Martiali, vel etiam ab extracta cum spiritu vini tinctura Martis crocea decenter edulcetur, aperiendi & saturandi scopo inseruiens; sed & ruber, si idem, vel liquoris eiusdem caput mortuum, in crucibulo ulterius calcinetur. Tacemus idem cum Sale ammoniaco, simpliciter etiam miscendo vel infundendo, obtineri posse; quin ipsum Mercurium sublimatum hoc sine impendi non inutiliter, ad instar processus cum Sale ammoniaco sublimando limaturam Martis, & aliis modis quampluribus. Vti enim crocus Martis est tinctura eiusdem sicca, ita etiam a tincturis ipsis resultat in capite mortuo pro lubitu.

Crocus vero Martis adstringens habetur, quando salinæ acidæ vitriolicæ contractæ, penitus inuersæ & immutatae sunt particulae, in terreo-sulphureas seu ochreas, vnde minori stimulo pollent, terreo & austero coæquato & prædominante, adeoque maiorem siccitatem & quietem flui-

dis & solidis in corpore inferente. Neque enim differunt, a priori, sed a posteriori solum, accedente vna maiori porositate, (instar flocculorum enim quasi se habent) & colore magis rubello, siue ex ipso croco aperitiuo, seu corpore Martis, longiori & vehementiori igne reuerberii adhibito efflorescat, sine vel cum spiritus Vitrioli vel aceti additione præuia, ad maiorem corporis Martis reclusionem, cui acidum ignis diuerberans iam sufficit fere.

Prodest hic in hæmorrhagiis quibuscunque, laxitate ventriculi, hepatis, intestinorum, imprimis vbi roborandum simul est, fluor lymphæ refrenandus, & fibræ constringendæ, ve & in gonorrhœa, fluore albo, vlceribus item; quo casu eius vicarium optimum est terra Vitrioli dulcis, exterius hoc nomine maxime celebrata, & interius in tinctura sulphuris vitrioli.

Referri huc potest etiam lutum fornacum exustum, siquidem & illud, experimento Becheri, de Marte participat, in dysenteria aliquando expetitur a quibusdam.

Solenne vero est Martialibus hisce, quod alui feces continuato vsu colore nigricante tingant: cuius rei ratio mechanica facile capi potest, si reputemus, acidum ventriculi & intestinorum fixius, cum martialibus iunctum, vitriolescere; hoc vero austerum, cum bile sulphuræ naturæ con fermentatum, nigrescere experimento constat; non secus ac gallæ infusæ cum vitriolo, & alia sulphure expanso gaudentia, vt flores rosarum rubrarum ipsi.

Crocus vero Antimonii, qui Metallorum audit, (quod ἴσιον per dicta primum ens illorum a Chemicis habeatur, ob sulphuris & Mercurii mechanicam,) debetur sulphuri Antimonii, cum particulis regulinis & terreis coëunti, & eminenter per fusionem expanso: κατὰ ἐξοχὴν quidem in croco metallorum puro, qui ipsissimum est vitrum ἴσιον puniceum, de quo inferius; secundario vero in croco metallorum impuro, gratis cum sulphure ἴσιον & regulo consurgente, terrestri.

restriori & segniori longe : illo emetico , vtroque ophthalmico , pro vsu collyriorum , quamuis ille magis per infusionem , hic edulcatus in substantia quoque. Medius est quasi , & hic memorandus quoque , quippe satis elegans , a tinctura  $\text{Zii}$  cum sale Tartari , vel sulphure residuus & emergens.

## LIBRI TERTII

## CAPVT QVARTVM,

De

*Regulis.*

**V**T plura alia , ita & Regulorum nomen , ex Chimia metallica fusoria , ad Pharmaceuticam redundauit. Proprium enim id nomen est metallis , fusione e mineris , vel separatione quoque ab aliis , seu in cupella seu alias acquisitis , a scoriis separatis , & ob grauitatem in fundo subsistentibus , puris sic & sibi relictis , v. g. veneris , lunæ , auri.

Opus est hunc in finem , partim vt sulphur abigatur , si quidem adsit , & deflagret , impurum sic & non metallicum , rōsten vocant , v. g. ex minera veneris ; partim fusionem accelerantibus metallicam regulinam , & sic separantibus , nitro , antimonio , sulphure , borace & aliis : vnde , quod fusile est huius commatis , a non-fusili , vno verbo scoriis , secedit , & diuersum occupat locum ; partim ignis gradu debito , fusorio puta , pro diuersitate minerarum , variando ; partim aliis. Nisi enim ignis fusionis detur , non impetratur regulus , saltim non vnitus , sed in granulis dispersus.

In Chimico-Medico vero foro , ne dicam ad ipsam Chimiam sublimiorem transmutatoriam , maxime in censum venit regulus Antimonii : (quod tamen Basilius Valentinus ipsi denegare videtur) tum sui gratia , tum aliorum expetitus ;  
vnde

vnde in simplicem, antimoniam puta, & compositum, additione metallorum aliorum natum, dirimitur.

Cum enim Mineralia velut anticameram constituent metallorum, & ad eorum *γένεσιν* quasi manuducant; cumque hæc ex sulphure & mercurio componantur & consistant, specimen huius insignis exhibent Reguli Antimonii. Vt enim hæc coniunctim in vitro eiusdem, ita separatim in regulo visenda sunt. Mercurius puta coagulatus, tanquam metallum immaturum, & sulphur minus fixatum ac laxius coherens.

Occurrunt partes regulinæ, seu mercuriales metallicæ, etiam in Antimonio crudo, striis splendidibus coruscæ, fusibilitate, pondere, & effectibus aliis; sed deest, ob sulphuris & Mercurii fixi defectum, malleabilitas. Quando itaque *ἀφύκεσιν* subit essentialem, seorsim in sulphur, in scoriis potissimum, de quo suo loco, & regulum dirimitur, reliquis terreis minus æstimandis.

Visitur hic simul nonnunquam in  $\frac{1}{2}$ ii depuratione & fusione, v. g. cum vitro adhaerens, quod in succineo quoque contingit vtplurimum, hinc & floribus, & aliis aliquando. Nec vnus modus est eundem acquirendi, summus tamen est, 1. mediante fusione vt fiat, eaque simul 2. separatoria, & 3. sufficienti.

Res enim eo redit, vt sulphur vel conflagret debite, vel simul aliis saturatum, solutum, & sic impensum ac diuulsum, liberat reddat particulas mercuriales coalitas, quod partim ignis præstat, partim sal Tartari, partim nitri & Tartari accessio, vel vice huius carbones quoque soli, puluerifatos antimonio in crucibulo fuso superaddendo, ad aliquot digitorum eminentiam, & dando ignem fusionis; (quem modum Zwelfferus describit,) vel Mars denique. Nisi enim sulphur per dicta deflagret & abstrahatur, sed vniatur simul, vel unitum maneat particulis reliquis per mechanicam, vt in vitro v. g. non fit quoque reguli proprie dicti separatio.

Neque

Neque etiam, nisi vel igne solo, vel accessu nitri &c. euoluatur & extra locetur vis sulphurea regulina, sed fileat quasi & ligata sit, vomitum æque mouet antimonium, adeoque pro diuersa calcinatione, diuersum fortitur effectum; nec crudum ipsum vel venenum est, vel emeticum, vt olim fuit creditum.

Exempli loco sit REGVLVS MEDICINALIS dictus, Cranio adscriptus. ℞. ꝑii optimi ꝑv. salis Tartari probe calcinati ꝑj. salis communis ꝑiv. Puluerifata & mixta, successiue in crucibulum ingesta, fundantur, primo igne mitiori, hinc fortiori ad fusionem actualem, instar aquæ; quo facto effunditur in conum l. a. separandis hinc scoriis, (resultantibus a salibus minus miscibilibus) in superficie, & regulum vel quasi talem potius, laxius paulo & analogice dictum, in fundo, asseruando ad vsum.

Hic vero melior est compactus, non porosus, instar ferri politi, & in puluerem obscure rubentis coloris abiens, quem tanquam multi vsus insigniter commendant, vix tamen ꝑii diaphoretici vires superantem, pro sudorifero, aperitiuo, in febribus & alias. Dosis ad gr. v. x.

Cæterum in regulo ꝑii simplici, nitri & Tartari confortium vulgo eligitur: quod duo hæc inuicem iuncta, (1.) celerrima deflagratione ignem duplicatum reddunt, & fusionem accelerant, quam & sulphur antimonii ipsum adiuuat; (2.) partes vero nitri & salis Tartari fixæ (alcalicæ) moderantur partes regulinas, ne dispergantur penitus, sub illo ignis rigore, non minus ac sulphureas, quæ sub hoc velo tutamen aliquod acquirunt.

*Regulus Antimonii simplex.*

℞ Antimonii Hungarici, Tartari, Nitri a. partem vnã v. g. ꝑij. Puluerifata misceantur, & successiue cochleari ferreo in crucibulum n. 2. indantur, prius probe candefactum, dando ignem fusionis, seu maiorem calcinatorio,

S

cuius

cuius indicium est quoque scintillatio partium metallicarum seu regularum.

Non incommode vero additur, pro lubitu, limaturæ Martis ꝑ. vel j. tantundem etiam nitri vel tartari omittendo. Hinc facta perfecta fusione, materia adhuc liquida statim infundatur in pyramidem æneam, prius sebo vel creta inunctam; quæ si ad manus non sit, relinqui potest in crucibulo, facta utrobique, ad meliorem subsidentiam reguli, aliqua concussione. Facta refrigeratione, in duas partes secessio obseruatur, exempta materia: in imo subsidet regulus, stella radians, nulla etiam si facta conipulsatione; in superficie vero concresecunt scorix, ab ipso regulo separandæ, pro Tinctura, sulphure antimonii, & croco metallorum impuro obtinendo, impendendæ.

Stellaris hæc figura, & simplici & martiali regulo communis, non tam debetur aëri sereno, quamuis & hic faueat, nec pulsationi; sed præcipue interno salino vel mercuriali genio, ad crystallisationem inclinanti, adæquate etiam externo scoriarum incubantium fotui, quæ cum inæqualiter refrigerentur, characteri huic imprimendo suo loco velificantur. Tacemus simplicissimum Veterum modum, cum sale Tartari solo.

Curiosior paullo est, & magis expetitus non minus, quam maiori prouentu conspicuus,

*Regulus Antimonii Martialis.*

Triplici modo potissimum hic parari solet. Primo ad mentem Basiliæ Valentini, in triumpho antimonii, ex antimonii Hungarici partibus duabus, Tartari vsti partibus quatuor, Martis parte vna: de quo & ipse, & in commentario Kerckringius legi potest. Sed hic modus intimiori eget fusione, & facilius fere sine Marte obtinetur hoc pacto regulus simplex: nec desperandum tamen in utroque, per Tartarum vstum intelligendo sal Tartari, quod omnino cum antimonio fluit, & sulphur in sinum recipiendo regulum separat,

rat,

rat, Nitrum vero fusioni magis velificatur. Hinc alter, modus notabilis est Alex. Suchtenii: quæ ἐξυψιότης tamen, nisi in accidentalibus, non æque differet.

℞. Limaturæ Martis finæ, vel potius clauorum teretium ℥ij. Inditis crucibulo & candefactis intime, addantur antimonii puluerisati ℥iv. Perinde est, si puluerisato antimonio misceatur Mars, ac in crucibulum indatur. Augeatur ignis, ad fusionem probam Martis in antimonio: ut vero fusio promoueat, & partes regulinæ separentur melius, subinde indatur pars aliqua nitri puluerisati. Cum omnia probe fuerint liquata & fusa, effundatur regulus in conum fusorium l. a. reliquis in crucibulo scoriis pro re nata, ulterius cum nitro addito fufis & effusis, si non plenarie omnia fuerint statim perfecta, quod præstat longe. Unde consulto super prunas ponitur crucibulum, vel etiam in officina fabrilis operatio instituitur.

Regulus hic acquisitus fundatur denuo in crucibulo, (sive per se, sive ut Suchtenius iubet, addito iterum antimonii parum) beneficio additi nitri puluerisati promota fusionem. Idque tertium eodem pacto repetatur nouo in crucibulo, quod fere satis est iuxta Basilium; & stellaris sic figura acquiritur omnino; quamuis & quarta vice Suchtenius idem repetat, de quo tamen vid. Rolincius in Chimia p. 399.

Tertius modus, per intrusionem Martis igniti in antimonium fufum legi potest apud Panthaleonem. Sufficit vero hic modus medius fere, imprimis quando regulum primario scopo venamur. Reguli enim antimonii simplicis quantitas est exigua magis, & quasi in parte fortunæ habendum, si subquadruplum ad summum emergat. In Martiali vero, quamuis, pro diuerso gradu ignis, prima vice partes etiam asymbolicas fere præ se ferat, si non ipsa Martis substantia, tamen anima quasi seu quinta essentia pondus addit, vnaque saturando sulphur acidum antimonii, reguli productioni velificatur plurimum.

Notabilis est vsus regulorum, per se interne noxius, nec integer facile globulus deglutiendus quoque, quod partes arsenicales, seu mercuriales potius cum sulphureis, seu emeticæ, minus sint cicurata. Ad instar Mercurii vero, metallis calcinandis inseruiunt; quamuis minori quantitate ꝑ. vel j. ad lbj. stanni addita, eidem firmitatem, duritiem, & sonum quendam conciliet. Hinc & per se fixari potest simplex in cerussam antimonii, cum nitri triplo fixatione facta, in calcem diaphoreticam, seu antimonium diaphoreticum ex regulo; & ex compositis inde bezoardicum louiale, Martiale, Venereum ipsum, Solare fieri, per dicta. Qui quidem vsus est omnium frequentissimus, & vulgo non sine ratione receptus, seu maiori, seu minori apparatu placeat præparatio.

## LIBRI TERTII

### CAPVT QVINTVM,

De

### *Vitris.*

**I**nter vltima torturæ ignis producta merito habentur **VITRA**, fixissimis partibus debita. Vt ergo a solidis resoluendis seu *ἄκαυστος* incipit chimia, ita in *συγκροτος* hac definit. Vnde terra & inibi latitantia principia residua stabiliuntur, vt fit & maneat primum & vltimum solidum.

Chimix hæc omnino originem vnice debent, vel saltim hodiernum ex eadem lucem mutuantur, vltimo fusionis gradu, ex terreis & salinis, fluorem & cohesionem indeptis, beneficio debilioris & paucioris sulphuris, ob quam ipsam causam non sunt malleabilia, sed fragilia, licet affinia itidem metallis, tum indirecte, tum directe facta.

Terra nimirum seu calx corpus præbet, sal reliquum  
in



in eius poris vnitionem, vtraque elementa vitri explicita, illa primario, hoc adæquate; sulphur vero implicitum, consistentiam & vinculum, singulis intime extremo igne coadunitis, & in vnã massam fragilem magis vel minus, firmam tamen redactis.

Quod vero de malleabilitate vitrorum laudari & disputari solet, certissimum est, non posse malleabile vitrum ex ordinariis legibus artis fieri, sine contradictione quasi in adiecto; vel si tale quid reuera præstitum vnquam fuit, id arcano lapidis philosophorum solum adscribendum fuerit, vt sane communiter id inter huius dotes numerant, a sulphure fixo solari metallico diffuso arcessendum.

Nec enim negandum est, metallorum calces seu tincturam, vitrorum colorationi plurimum conferre, quatenus sulphure suo fixiori huius fluoris modificationi velificentur, vt imprimis magisterium auri, simul iouialis, ad vitra rubra paranda adhibetur; quamuis & citra hæc fieri posse, perhibeant artifices.

Variant enim reuera vitra, pro elementorum suorum diuersitate, puritate, colore, æstimo: vnde præter cineres & ossa, ipsaque metallica & alia, ministrant non solum, salia, sed & crystalli, quæ, ceu gemmæ ignobiliore, puriorem iisdem scenerant terram. Imo res eo rediit, vt singularem artem hodie constituat vitraria, in qua illustranda Neerius, Merrettus, Kunckelius & alii, fuere occupati; vnde ignis omnia destruentis (etiam solaris concentrati) beneficio, ex calce & morte rerum, nouum corpus hoc confurgit.

Pro nostro scopo vero in præsentiarum, triplici fere potissimum fine, vitrum parari solet & in vsu est. Primo quidem ad parandam essentiam seu tincturam: quo nomine laudari potest tinctura filicum Glauberi, quandoquidem e filicibus solaribus cum sale Tartari fit vitrum, ex quo sulphur subtilius cum sale vnitum, cum spiritu vini

tartarifato extrahi potest, pro usu aperitiuo, diuretico, nephritico. Idem de tinctura antimonii Bas. Valentini, Zwelfferi, aliorumque valet, quamuis infida. Utrobique enim sulphur fixum captiuatur in terreis particulis, & simul igne fortiori fluorem indeptum mensuris aptis, vt in vitro antimonii, aceto destillato, vel spiritu viridis æris extricari potest, fixari simul & sibi reddi, ac solui, seu extrahi.

Alter vltus est emeticus; quo nomine vitrum antimonii vnice frequentatur, idque triplex: *succineum* iam tactum, ex Mercurio vitæ, tanquam calcis caractere, licet imperfectæ, gaudente; *hyacinthinum*, quod καὶ ἐξοχὴν ita audit; & *punicum*. Enimuero mater vitrorum sunt calces, quæ etiam h.l. in censum veniunt, quamuis laxius paulo, modo explicite magis, modo implicite cum fusione,

*Vitrum Antimonii-Hiacynthinum.*

℞ Antimonii Hungarici striati q. v. v. g. ℥iv. v. Puluerisatum accurate, expandatur in patina terrea non vitreata, vel seorsim hoc sine confecta, vid. Zwelff. vel parte dimidia retortæ terreae confractæ. Subdatur ignis carbonum lenis in furno anemio, & continuo cochleari ferreo agitetur, donec in grumos tandem coëat, nec agitando prohiberi id amplius queat. Hinc iterum puluerisetur, & eodem modo procedatur, eo nimirum sine, vt sulphur superfluum abigatur, cuius deflagrantis flamma cœrulea in tenebris oculis ipsis patet; adeoque calcinetur idem, quousque non amplius coëat, sed in puluerem gryseum, seu calcem vel quasi facessat, quod tertia fere vice fieri assolet, indicio, sulphur sufficienter fuisse, ad hunc actum scilicet, deflagratum, & partes sulphureo-regulinas in calcem mutatas.

Puluis hic, tanquam calx inchoata antimonii, fundatur in crucibulo, etiam citra boracem per se, (quæ ipsa tamen reuera est innoxia,) vt & citra sulphuris communis per particulas adiectionem; & fusa materia effundatur in peluim

peluim

peluim aneam, vel mortarium. Nonnulli calcinando eousque continuant, donec in calcem albidam antimonio diaphoretico similem abeat, sub titulo antimonii per se fixati.

Vfus vitri est emeticus cum primis & ophthalmicus, non vero vnquam in substantia, ob *degeneratam* virtutem; renouatius, in scabie & alias, in tinctura, vt Zwelfferiana laudata. Vitriolatum vero, si cum spiritu vitrioli imbibatur semel iterumque, fortius paulo est, nec facile in vsum trahendum.

Coincidit cum hoc, & breuiori vel quasi extemporanea opera conficitur, sub nomine croci metallorum purioris vel Rulandi veniens,

*Vitrum Antimonii Punicum.*

Cum enim sulphur nitri connubio igni expositum promptissime deflagret, & fusio sic particularum terreo-sulphureo-regularum, tantum non momentanea eueniat; idem profecto emicat in antimonio.

Duplex hinc, vitri seu croci huius dicti, parandi est modus: (1.) & antimonii puluerisati, nitri a. v. g. ℥iij. puluerisati & mixta, per vices, probe obseruata detonatione, ingerantur in crucibulum candens n. 2. Omnibus successive ingestis & probe fusis, massa relinquitur in crucibulo, donec refrixerit, vel, cum diffringendum illud sit, in conum aneum effundatur. Hinc a scoriis separatus crocus, seu quod vitriforme est & melius, seruetur ad vsum, pro inde parandis emeticis variis. (2.) Aliis loco successiuæ simultanea placet detonatio, quando mixtura eadem in mortario aneo pruna candente accenditur, facienda hinc edulcatione, quod in priori opus non est; & minus etiam elegans sic obtinetur respectiue crocus.

Ex hoc vero vitro antimonii, fere pulchriori & commodiori, (vtrouis modo parato) hodie fit vsitatissimus

*propter vitream tenacitatem non effundit. nec scoriae adsunt.*

*Cartas*

*Tartarus emeticus :*

imbutis eiusdem miculis subtilibus , & maritatis crystallis acidis Tartari , ob cicuratam sic antimoniata[m] virtutem , optimum longe medicamentum. & croci metallorum puri laudati, (par ratio est vitri antimonii communis, sunt enim reuera & in effectu duo hæc vitra vnus eiusdemque comatis,) crystallorum Tartari a. q. v. v. g. ʒj. jʒ. Inditis in ollulam puram vitriatam, affundatur aqua simplex fontana, stent per vnum alterumque diem pro lubitu, potest enim & citra illam digestionem fieri. Hinc leni carbonum igne coquantur, ad ebullitiones aliquotas, & sufficientem solutionem Tartari, vnaque imprægnationem.

Liquor calidissime filtretur in ollulam aliam puram, mediante cochleari ferreo per vices ingestus. Filtratus euaporetur eodem simili igne, ad tertias vel paulo amplius, non ad siccitatem, (more salium crystallifandorum) & reponatur in cellam, vt sensim sensimque, intra vnum alterumque diem, Tartarus prius solutus in crystallos redeat: quæ eximantur, aqua frigida (si opus id videatur) eluantur, & reponantur. Dosis gr. j. ij. iij. Caput mortuum rubellum remanet.

Denique &, pro vsu docimastico fere magis quam Medico, confici potest iuncta calce gemina, Saturni seu minio, & silicum subtilissime puluerisata, cum vel sine nitro,

*Vitrum Saturni*

dictum. Illis enim immersum quodammodo sulphur adhuc viscidum, fusorio igne, quod & de reliquis valet, arte complectitur terreas particulas, fluorem vna adeptas, vt vitrum h. l. viridescens emergat. Vfus huius est, ad iuuandum fluorem minerarum, minus fusioni aptarum: quo de videatur Erckerus.

LIBRI

LIBRI TERTII

CAPVT SEXTVM,

De

*Præcipitatis & Coagulis Mercurialibus.*

**A**D vsta hæc, seu igne fixata, seorsim etiam referri possunt Præcipitata vulgo dicta, & Coagula Mercurialia: quæ ad Mercurium viuum fixandum varie impensa sunt, tum e solo illo parata & quæsitæ, tum cum aliis metallis & mineralibus, via sicca & humida, sed dispari euentu & effectu.

Persuasi enim Chimici nonnulli, Mercurium viuum vulgarem, contra mentem artis genuinæ, (Mercurius vulgi enim non est Mercurius Philosophorum) seu corporum etiam dictum, esse materiam primam omnium metallorum, (id quod sano sensu etiam verum est) & in terræ visceribus destinatum ad aurificationem: cogitarunt de imitatione, & abbreviando hoc opere, & digestionem longa, alii fimi v. g. equini, alii ignis & salis proprii eundem fixare annisi, unde Azoth dictus enatus est, seu puluis rubeus, quod per vnum alterumque mensem non adeo difficulter impetratur.

Alii accessione auri vel argenti idem aggressi sunt: quo casu enata est arbuscula metallica, seu Philosophica, vtraque via adhibita, quo de Bartholinus lib. de Niue, Glauberus ipse, Rolincius, & imprimis Borrichius de ortu & progressu Chim. videri possunt. Ex qua succretione, vim vegetatiuam metallorum, sibi concepere. Exhibent vero reuera plerique, vulgo noti, processus illi lusus salium, quatenus facta combinatione, volatiles & plicatiles tamen ramosæ particule mercuriales, salinas secum condentes, & metal-

T

licæ

licæ iisdem iunctæ, sublimantur naturæ suæ conformiter, ignis calore imprimis fortæ; id quod & de regno vegetabili, & animali, verum est. Vid. Digby de plant. veget.

Notabile hinc est, symbolica affinitate texturæ gaudere Mercurium cum metallis præcipue mollioribus, ob homogeneitatem substantiæ & pororum; deinde vero, esse in Mercurio acidum sulphureum occultum, cuius ratione etiam rodit, & velut igne occulto calcinat quasi eadem: quæ duo postulata non parum faciunt ad fixationem hanc & amalgamationem intelligendam, imprimis utrobique accedente tritu, igne ipso, vel aliis.

Ita quidam cum plumbo mixtum longiori tritu agitantur blande, vbi sensim in superficie deponitur puluillus nigricans, a quo abstractus Mercurius relinquit puluerem rubellum instar minii, quale etiam ipsum est via alia factum, minium inquam mercuriale, quo vsi sunt ad morbos varios. Perinde est, si metalla alia, ipsumque aurum addantur, quod itidem factum nouimus.

Memorandus etiam præcipitatus Mercurius cum regulo antimonii martiali, addito auro vel argento, qui ad ductum Suchtenii, Philalethæ, ut putatur, Pantaleonis & aliorum hodie celebratur, saltim itidem ad curationem morborum rebellium. Nam in tingendo adhucdum parum vel nihil, quod sciamus, præstiterit.

Seorsim præcipitati nomine κατ' ἐξοχλῶν notus est, inter vulgares ruber, facta Mercurii viui solutione in aqua forti, & sufficiente igni hinc euaporatione. Vtut enim exterius potissimum vires eius impendantur magis, in vlcibus mali moris & malis Venereis, scabie ipsa &c. etiam in vnguentis; attamen rite præparatus, & edulcatus vel aqua rosarum, vel spiritu vini quoque abstracto, minori dosi etiam interius datur cum successu in robustioribus, & vterius etiam præparari potest. Reuera enim & turpethum minerale, & arcanum Corallinum communiter dictum, præcipita-

cipita-

cipitatum diaphoreticum Paracelsi, Helmontio vnice laudatum, antipodagricum Cnœffeli & alia, procedunt ex hoc fonte.

Quin ex compositis ad eundem modum factum est Antiquarium dictum Riuerii, quamuis differant processus de eodem extantes. A Rolancio vero descriptus, iam a Claudio Deodato in Panth. Hygiast. lib. III. Rhenano, Riuerio ipso, Hartmanno tributus describitur quoque, vt & Hoffmanno in Clauæ Schræder. Zwelffero & aliis. Nec de nihilo est. Si enim effectus huius & aliorum dictorum attendamus, certum est & non negandum, præcipitata talia, in morbis chronicis, rebellibus & incurabilibus alias visis, in lymphæ acido & viscido inprimis radicatis, vt arthritide, hydrope, epilepsia, febribus, lue venerea, lepra, non parum prodesse.

Idque ob actiuitatem particularum mercurialium, quibus si antimoniata solares, lunares, pro re nata, accesserint, vires auctum iri, in aprico est. Vnica cautio est, ne corrosiuitate sua noxam aliquam, etiam dosi & vsu longiori, vel sine discrimine data, saltim cum spiritibus acidis parata, corpori fœnerent; vnde probe præparata & edulcata, longe optima sunt. Et quidem edulcatio hæc, non modo lotionem sola, quæ superficialia fere est nonnunquam, sed & aliorum accessione, quæ acrimoniam obtundunt, impetrari potest: vnde ausim dicere, ipsum Philosophorum arcanum, non parum hæc imitari.

Hæc vt altioris sunt indaginis, ita etiam vulgares alii modi in vsu sunt & tangi merentur, ad Mercurium vt vocant fixandum seu coagulandum, quod per metalla ignobiliora etiam, v. g. plumbum & cuprum præstatur. Et in Saturno quidem cum Mercurio coagulato, per dicta, & amalgamatio seu mixtio symbolica, & calcinatio occurrit. Ita enim amice coiens Mercurius cum plumbo liquato, corporeitatem suam extemplo mutat, & fluere desinit:

T e

actiue

148 LIBRI III. CAPVT VI. DE PRÆCIPIT. ET COAGVL. MERC.  
actiue vero vna hoc pacto plumbum reddit friabile, pro  
epulotico egregio, in vlceribus laxis, & emplastris Saturni-  
nis quibusdam. Idem & cum regulo antimonii, cum Ioue  
& aliis succedit. Austerum nempe metallicum ligat quasi  
Mercurium, inuitatum in poros & discontinuatum; huius  
vero sal acidum, acre, vicissim calcinat & rodit.

Vtut vero apud ignaros magni æstimetur Mercurii  
hæc coagulatio vulgaris, reuera tamen ex his fundamentis  
est diiudicanda. Si v. g. recipiantur salis & viridis æris a.  
ʒiij. Mercurii viui ʒij. affusa aqua priora coquendo, donec  
ebulliant, in patella ferrea, hinc indendo Mercurio & ite-  
rum coquendo, per horam dimidiam circiter, post decan-  
tatum liquorem aqua frigida elutriatione facta, compingi-  
tur *μάρμα* seu Mercurius corrasus cum spatula in lintea-  
mine ad ʒiij. præter propter.

Mercurius enim cum particulis Venereis, in viridi æris  
latitantibus, coit, illas colligit & sibi sociat, verbo, amalga-  
matur. Vnde ʒj. plus circiter in pondere acquisitus vide-  
tur, quam fuerat assumptus Mercurius. Ast si coagulum  
hoc in crucibulo fundatur ad ignem, auolant Mercurii cir-  
citer ʒij. seu quantum fuerat assumptum, & remanet ʒj. ipsis-  
simæ scilicet veneris ex viridi æris reductæ. Hinc annuli,  
vel alia inde parata, tantum abest vt vires mercuriales exe-  
rant, vt potius virorem, & alia cupri seu aurichalci phænomena  
exhibeant.

Sin cum Ioue instituat hæc fixatio, coquendo pri-  
us Mercurium cum aceto, elegans satis massa emergit, qua  
ad monetam falsandam abusi, & ideo capite plexi fuere visi.  
Tacemus huc referri posse liquorem, eiusdem fere comma-  
tis, licet diuersæ consistentiæ, quo nonnulli Mercurium in  
argentum vel aurum fixare volunt, eodem Mercurii  
lusu: quo de vid. Dolæi epist. & Becheri sup-  
plem. Phys. subterr. p. 28. aliique.

SECTIO



SECTIO QUARTA,

DE

*Solutione & Coagulatione.*

CAPVT PRIMVM

De

*Solutione in genere.*

**T**ertia classis operationum Chemicarum, est SOLVTIO & COAGVLATIO. Solutio est receptio solidorum, quatenus in liquorum poros recipiuntur & abeunt: Coagulatio est fluidorum solutorum, quatenus in se recepere aliud, & ex liquido in solidum vel spissum, prius liquatum quod erat, sistit e poris separatum.

Omnis ergo solutio absoluitur duobus, primo patiente, obiecto soluendo, secundo agente, h. l. solvente subiugante, quod vno nomine recepto menstruum audit, id est, liquor poris mixtorum se insinuans, eademque vel soluens, vel extrahens. Hinc alia ab aliis soluuntur, alia non item, magis vel minus, etiamsi satis sint actiua. Totum nempe fundamentum solutionis omnis consistit in similitudine, vt similia similibus soluantur, similibus substantia seu textura, genere, figura, poris, proportione, & contra ea dissimilia penitus non inueniant aditum vel ingressum.

Noscendum hinc & soluendum omnis cohaesionis vinculum, quod ceu clauē referatur a menstruo & discontinuatur. Illud vero est sulphur, diuersissime concretum, gummeum, v. g. resinofum, gummi-resinofum, terreum, pansum, fixum, medium, imo diuersissimæ naturæ. Vnde, vt sulphur primum plicatile, terra primum solidum, salia medio modo se habent; ita aqua primum fluidum, menstruum

T 3

um

um simplicissimum, primum & vniuersale, a sulphure & sale variandum.

Diuisio hinc menstrui seu soluentis præcipua est, in *vniuersale & particulare*. Vniuersale dicitur non quoad indiuidua & species, quod omnia atque singula soluat promiscue, indifferenter, immutabiliter, quod inter postulata potius adhucdum referendum; sed partim quoad genera liquorum & stimulorum, vt præter aquam præcipue salia hunc censum subeant, partim quoad species regnorum diuersorum, vno verbo commune magis, & saltim velut ex hypothesi minimum.

Sic aqua est menstruum vniuersale hoc sensu vegetabilium & animalium. Mercurius est menstruum vniuersale metallorum. Particulare, quod indiuiduo huic illi, e specie sua desumpto, est appropriatum, aqueum, sulphureum, idque spirituosum & oleosum, & salinum, alcalicum, acidum, salsum & medium, eaque vel simplicia, vel composita quoque: siue, quæ accidentaliter est diuisio, solutio sit totalis, seu partialis, completa vel incompleta, immediata vel mediata.

Singula ergo id præstant, non vnusmodi efficacia. Sicuti nempe ingressus datur in urbem, primo cui vel amico & familiari, secundo indifferenti seu medio, tertio hosti sed victori & præuio conflictu; ita etiam idem huc commode applicari potest soluendi modis. Solutio hinc a *ia* est *primi generis*, quando similitudo est quasi absoluta, & solum fere consistentia differens adest homogeneitas. Sic gummea soluuntur ab aqueis, sulphurea a sulphureis, o eo-  
sis respectiue & spirituosis, metalla a Mercurio.

Alia solutio est *secundi generis*, media & indifferens quasi, vt salia soluuntur ab aquis ob ingressum concessum confluentia, sulphurea a lixiuosis, (tartarea ab alcalibus & acidis) in quibus est similitudo subordinata & adæquata, secundum quid.

Alia solutio est *tertii generis*, quæ est cum efferuescentia, seu

COR.

conflictu prauio, in quibus non est similitudo pacata & amica a priori, sed coactiua & a posteriori magis talis. Ita terrea alcalia & alcalina soluuntur ab acidis, efferuescentia vel calida vel frigida interueniente.

His præmissis tanquam simplicioribus, notandum porro, alia solui principaliter & primario, in abstracto quasi considerata magis, alia secundario & in concreto, velut indirecte simul cum alio sociata, vnde valet & hic illud Iureconsultorum; Si vinco vincentem te, vinco te.

Ita terra soluitur simul cum salibus ab aquis, vt in solutione vitrioli cum sulphure, & vice versa hoc cum illa. Alia etiam non ab vno solo, sed a pluribus, vt gummi-resinæ, quæ pollent sulphure resolubili, sulphur-aquea ab omnibus, aqueis, acidis, spirituosis vinosis soluuntur, exemplo opii. Ita crystalli Tartari soluuntur etiam, præter iam dicta, ab aqueis, sed iuuante igne, ab alcalibus, & ab acidis.

Ob hoc ipsum etiam menstrua alia sunt simplicia, alia composita, vt aqueo-acida, in tinctura violarum, rosarum, &c. acido-sulphurea, in elixiriis & essentiis compositis, quas aquas temperatas vocant. Sulphureo-alcalina, vt tinctura Tartari simplex, & antimonii tartarifata, & spiritus salis ammoniaci dulcis, etiam olea soluunt. Ita enim se inuicem iuuant, acuunt, specificant, vt gradibus & effectu hinc variant & differant.

Sic v. g. inter aquea est aqua simplex, destillata, roris maialis, phlegma aceti destillati insipidum; inter spirituosas sulphurea, spiritus vini reëtificatus Tartarifatus, & cum his abstracti alii spiritus hi illi. Inter acida, & quidem iterum mansionibus diuersis, acetum, acetum destillatum, & spiritus minerales acidi, salis, vitrioli simplex, philosophicus, nistri, aqua fortis, aqua regia, &c.

Nota hic, esse quoque & dici hinc mereri alia primo menstrua principalia, alia secundaria, quandoquidem sæpe duo concurrunt & sibi succenturiantur, vt, vbi desinunt v. g.

aquea

aquea, vel spirituoſa ſulphurea, ibi incipiant acida. Secundo alia ſunt liquida, proprie magis dicta, alia ſicca, vt Tartarus, cineres clauellati, regulus antimonii, &c.

Adeoque ſimilia ſimilibus ſoluuntur, etiam ſpecificetalia & appropriata ſingulis. Quod vt commode fiat, iuuanda eſt ſolutio & extractio extraneis aliis, reſpectu quidem ſoluendorum, vt conſcindantur, contundantur, tenuentur reſpectiue, & præparentur ſic prius, vt ingreſſus fieri in poros poſſit. Reſpectu menſtrui, vt ſit ſufficiens quantitate & qualitate, excedens enim quantitate diffundit vires, deficient non exhaurit; quam in rem vel ſimultanea, quæ melior fere eſt, ſi ſufficit, neque quid obſtat, affuſio adhibetur, ſextupla vel octupla, definita, indefinita, vel repetita. Reſpectu vtriuſque, vt poris ſe inſinuet menſtrum penitus: ſingulis obſtetricatur ignis, digeſtio, coctio ipſa, vt accedente calore exprimat magis petita, & mora conueniente, ne de expreſſione ipſa etiam dicamus.

## SECTIONIS QVARTÆ CAPVT SECVNDVM,

De

### *Essentiis.*

**S**olutionis duplex eſt ſpecies, vna quæ cum ſoluto manet vnita, & magis concernit virtutem ſeu extractionem, altera quæ ab eodem in totum vel in tantum ſeparatur, vt per ſe exiſtat. Illa vt præcipua eſt & multifaria, ita cum primis eius exemplum præbent *ESSENTIÆ*.

Essentiæ nomen ſæpe quidem commune eſt, & tincturis ipſis tribuitur quoque; nihilominus ſeorſim conſideratæ, notant proprie extractionis liquidæ ſpeciem, a virtute magis denominatam, quæ tincturam quidem non excludit,

dit,

dit, & cum eadem reciprocatur sæpe, attamen recepto usu ita seorsim dicitur tanquam a potiori.

Quoad præparationem hinc itidem duo consideranda, (1.) subiectum seu materia ex qua, simplicia & composita, utraque apta nata, ut cum sulphure feminali vires cum liquore communicent, sicque in hunc deriuent, ne maneat in corpore priori. (2.) Menstruum, eadem odore, sapore, & viribus exuens, ut liquor inde fiat alius, concentratas eorundem & extractas vires possidens.

Hoc vero & hic non vbiuis est idem, sed diuidi potest seorsim primo in generale, v. g. inprimis spirituosum vinosum & appropriatum, præsertim in compositis; secundo alia apparant, alia extrahunt, quod eadem cum tincturis habent commune. Facit enim huc in aliis iterum *Cōctio*, cum aqua simplici, quod in vegetabilibus saturate tinctis & resolubilibus, gummi-resinosi, ut opio, præcipue valet. In aliis *Fermentatio*, liquore inprimis fermentescibili, v. g. succo cydoniorum, ut in fermento opii, antimonii, & martis ipsius. In aliis, nominatim metallis & mineralibus, item salibus ipsis, *Calcinatio* actualis respectiue, vel potentialis, ut extrahi e poris intimius conclusum sulphur virtuosum & tingens possit. In aliis *Extractio* solitaria sufficit, seu simplex cum spiritu vini, vbi quidem magis parua est virtus; ut taceamus præuiam grossiorem præparationem aliam, ut e succis inspissatis & rob ipsis fieri possunt postliminio essentia, quod ipso opii exemplo verum est, & aloes quoque, & aliorum.

Sola vero menstrua aquea huc non quadrant primario scopo, vnde frustra sunt, qui essentiam croci cum aqua vitis exstillante parare satagunt, corruptela utpote breui insequente. Neque timendum est menstruum spirituosum, ob caliditatem prætensam, siquidem non tam vnus solus gradus seu qualitas prima suffecerit, nec tam calor præternaturalis respiciendus, quam eius causæ, obstructions &

V

alia,

aliæ, quam ipsum acidum peregrinum, quam viscidum, turbatum, fermentificum, & errores diætæ alii sic corrigendi.

Hinc quod decocta & infusa diffusa Galenicorum, id essentia concentrata & virtuosa Chemicorum sunt, quamuis vtraque sui vsus. Apta ergo ad essentias sunt ex omni genere trium regnorum, quæcunque vires suas laudatas radicatas cum spiritu vini communicare queunt, vt conformes hinc sint essentia suis simplicibus, præcipue vero sapida, odorata, aromatica, gummi-resinosa, amara &c. adæquate salina ipsa.

Quædam vero ex his magis simplices & per se expetuntur, quædam magis cum aliis. Sic essentia *hyperici* traumatica, nervina, balsamica, in veneficiis ipsis. Sic essentia *absinthii*, simplex & composita, in cruditatibus ventriculi, febribus intermittentibus, affectu hypochondriaco, &c. prodest; ad corrigendam vero eius *ἀσθενίαν*, ipsa quoque leuis *coctio*, vel *immersio solum in aquam feruentem* præmitti potest. Eadem & *martialis* reddi potest, sulphure eiusdem per liquorem martis, vna vel altera guttula indita, in momento immutato.

Idem de *essentia ligni aloes* valet, & aliis aromaticis quibusuis, *cinnamomi*, *cardamomi*, *calami aromatici*, si ad  $\text{ʒij}$ .  $\text{ʒiv}$ . fiat extractio, vnde consimili modo fit *tingtura martis balsamica*, *confortatiua*, in melancholia hypochondriaca, vertigine, inflationibus ventriculi, palpitatione cordis, aliisque similibus affectibus, maxime confortandi fine, & in valetudinariis.

Inter compositas magis polychrestas laudari etiam potest essentia *antimaniaca*, *antimelancholica*. Quoad has vero notabile est (1.) essentias fere magis præstare diffusas, vt vis edulcans acidum, & placans inquietos spiritus, quæ bonam partem simul spiritui vini debetur, magis se exercere possit, danda ad cochlear vnum v. g. vel amplius. (2.) Subiungenda etiam *decocta equipollentia*, quæ turbatum acidobiosum, quasi formicarium sæpe, restituta lymphæ diluunt & alte-

alte-

terant. Tacemus (3.) ipsa *ambypochochondriaca* coniungenda, & vniuersalia alia.

*Maluaticum Iuniperinum*, vel *Sambucinum*, itidem exemplum præbet essentiarum ex succis inspissatis & rob parandarum. Quando vero diffusæ sunt paulo essentiæ, vbi id non opus est, consultum est abstractione aliquotæ partis reddere concentratiores, vti iterum seu vice versa ex extractis facile est parare essentias, ipsis inspissatis puta.

*Essentia lignorum* est insigne depuratiuum & lymphæ correctorium, in catarrhis, lue venerea, scabie, arthritide, dolore dentium, &c. imprimis viperina simul, reuera polychresta, quo fine & *essentia ligni sancti simplex* ori immissa, & composita reddi potest, proficua. & ligni sancti ℥j. terræ Japon. rad, pyrethri, caryophyllorum aromat. a. ℥℞. extrah. cum spiritu vini, quæ ipsa est *odontalgica*.

*Essentia traumatica* compendiosior est N. O. descripta apud *Hagendornium tr. de terra Japon.* quo ipso habetur simul essentia mumix. *Essentiæ purgantium amara*, ingrata, & alterandi magis scopæ debitæ; *acidulorum diffusæ*, *resinosa* optima in pituitosis & frigidis, magis tamen definito pondere facta solutione resinæ, quam indefinito, addito pro lubitu olei citri modico. & resin. scammon. ℞. spiritus cochlear. ℞. ol. anis. gtt. j. M.

#### *Essentia Anodyna.*

Compendiosissimus, isque melior modus parandi tum alia opiata, tum essentiam vel tincturam anodynam est, si cum menstruo aqueo processus fiat. & opii Thebaici v. g. ℥iv. Puluerisato in mortario, & indito ollulæ, affundatur aquæ fontanæ, q. s. (Par ratio est aquæ roris maialis, vel phlegmatis aceti destillati, ab arcano Tartari residui.) Coquatur leni carbonum igne, ad sufficientem dissolutionem, & extractionem, facta simul agitatione cum baculo. Hinc

decantatus liquor tinctus, & filtratus per linteum album purum, cum expressione, euaporetur ad quartam circiter vsque partem, donec saturatus, neque tamen coagulo proximus euadat, cauendo empyreuma. Huic affundatur duplum vel triplum spiritus vini rectificati seu tartarifati, q. s. scilicet ad tincturam in momento quasi extrahendam, addito etiam si placuerit spiritus salis rectific. parum, (quo tamen minus opus est.) Repeti vero potest pro re nata de nouo coctio capitis mortui residui.

Sin, quod fere fieri solet ordinarie, vel gelatinam præ se ferat, quod decoctum iam est & euaporatum, vel filamenta quædam immixta visantur tincturæ, post affusum spiritum vini, spissantia liquorem, filtretur per chartam, quod melius est, vnde pura, correctæ & optima essentia habetur.

Vsus notissimus est, in vigiliis, doloribus, catarrhis tenuibus, falsis, tussi, fluxibus alui, vomitibus, hypercatharsibus aliisque, vbi opiatorum vsus se commendat; idque tum primaria dosi, per se, ad gtt. vj. iix. x. & amplius in casu grauiori, tum secundaria, & refracta sic, cum aliis, v. g. bezoardicis, pectoralibus, nephriticis, in arthriticis & pleuriticis ipsis, &c. prouida cum cura.

*Essentia Asæ dulcis, seu Benzoes.*

Vt Benzoe ingreditur elixir pectorale, ita seorsim pro vsu cosmetico extrahi potest. & Benzoes amygdalinæ q. v. v. g. ℥j. extrahatur cum spiritu vini rectificato essentia, pro vsu potissimum externo cosmetico, miscendo & subprecipitando tempore vsus statim, cum aqua rosarum, florum fabarum, &c. vbi extemplo albescit, & hinc mediante affrictu vel lotionem cuti nitorem conciliat, pro lubitu addita & storacis calamitæ ℥℔.

*Essentia Asæ fetide.*

Eodem modo paranda vsum habet hystericum, siue interne pro elixirio vterino variando & roborando, seu externe,



terne, per se naribus admouendo, vel cum aliis, vt spiritu apoplectico, spiritu salis ammoniaci, vt & certis casibus ipsi vtero seu pudendis, cum oleo cornu cerui & essentia castorei.

Ex animalium classe præcipua est *essentia Castorei*, quoad pulpam carnosam, separata pinguedine & parte coriacea, v. g. ℥j. cum spiritus vini ℥vj. extrahendo; plurimi vsus in affectibus ventriculi (vt cardialgia, singultu) veteri, aurium, neruorum: varie cum essentia succini, myrrha, bezoardica, anodyna, spiritu salis ammoniaci &c. miscenda.

Tacemus *essentiam myrrha simplicem & compositam*, cum spiritu vini Tartarifato, vel spiritu Tartari quoque, extrahendam, & in *essentia theriacali balsamica*: item *essentiam ambra*, confortandi & analeptico vsu, in affectibus frigidis, senibus, iuuanda memoria, ventriculo, venere, &c.

Non carere etiam possumus

*Essentia Carminatiua,*

parata ad modum in *Opiologia* p. 119. descriptum, seu simplici, seu dupla vel tripla potius proportione extracta, facta inprimis post extractionem sufficientem expressione.

Vsus eiusdem insignis est anticolicus, Nephriticus, Vterinus, maxime a materia frigida, in ructibus item, singultu, cardialgia, suffocationibus hysteris, torminibus post partum, inflationibus & cruditatibus ventriculi aliis; per se & cum variis aliis, bezoardicis, neruinis & anodynis remixta, ipso etiam pro re nata oleo citri vero, caryophyllum, &c. non omissis aliis, clysteribus, oleis paregoricis, &c. ad gtt. xxx. circiter danda.

*Essentia Succini.*

E bituminosorum genere excellit essentia succini flauæ, subtilissime prius triti, ad ℥ij. vel iij. pollentis sulphure resinoso, præter acidum cum sale volatili sigillatum, quod

V i

quod

quod ipsum longe optime subquadrupla proportione additur. Auscultat idem saltim superficialiter spiritui vini Tartarifato, accedente extraneo calore, vnde extracta habetur essentia flavescens egregia, cephalica, neruina, catarrhalis, vterina. Probatissima enim est, interne in omnibus lymphæ ichorescentiis, eadem non deficiente feliciter operans, & in frigidioribus, speciatim in gonorrhœis, simplici & virulenta, in fluore albo, ichore vlcerum seroso, retentione lochiorum, symptomatibus hysteris, miscenda, cum tinctura bezoardica, anodyna, essentia lignorum, castorei, myrrhæ, asæ fœtidæ, oleis, anodynis, &c.

Pertinet huc & essentia e trifolio fibrino, antiscorbutica, ex radice & foliis eiusdem; vitrioli martis, cum floribus salis ammoniaci martialibus ana, extrahendo cum spiritu cochleariæ; &

*Essentia Vitrioli Martis Ludouici,*

℞ Vitrioli martis, crystallorum Tartari a, q. v. v. g. ʒj. ij, iij. Coquantur in olla, affusa aqua simplici, q. s. v. g. sextuplo vel octuplo, subinde cum spatula lignea motitando ad mellaginem, cauendo empyreuma. Huic coagulo affundatur spiritus vini vel cochleariæ sextuplum vel q. s. hinc filtratur, & asseruetur ad vsum anthypochondriacum, hystericum, polychrestum. Dari potest & per se, & cum aliis variè remixta.

LIBRI QVARTI  
CAPVT TERTIVM,

*De*

*Tincturis,*

QVæ de Essentiis diximus, pleraque etiam quadrant Tincturis, & vice versa: vnde, vt vtræque magis exhauriantur, symbolica & vniformes fere præparaciones, reliqua quo-

quo-

quoque visere par est huc spectantia. Vti vero in essentia virtus, quamuis non sine colore æque, ita in Tinctura virtus & color in primis spectanda, vnde a potiori denominando, sæpe nomen vtrique commune est.

Tincturæ nempe radicem suam agnoscunt in centro seu sulphure, principaliter quidem de liquidis, adæquate & de siccis coloratis, rubris in primis, prædicari solitæ. Aliæ item diffusæ, vt aqueo-acidulæ, vel aqueo-alcalicæ; aliæ concentratæ, vt reliquæ: singulæ tamen itidem vel simplices, vel compositæ ex pluribus, & sic essentificatæ.

Communes itaque sunt leges solutionis & extractionis etiam in tincturis, vt pro diuersitate sulphuris resinosi, gummosi, magis vel minus terrei, vel medii, menstruum eligatur vel spirituosum, vel aqueum, vel aqueo-salinum, vnum vel geminatum. Resinosa extrahit spiritus vini rectificatus alcalisatus; gummosa seu semiresinosa, seu aqueo-gummea & terrea, partim omnia & singula quasi, vt de Opio diximus, partim aqueo-alcalica, partim acida appropriata, stimulum addunt specialem.

Frustra vero sunt, qui extractionem solutionis experientem quasi sibi fingunt. Tantum enim abest, vt genere differant, vt potius nulla sit tinctura sine solutione specifica & determinata, expansiua sulphuris eminentis.

Pro obtinendis ergo his tincturis, latius patente earum ambitu, notandum, frequentiores & deliciaiores esse rubras, hinc & nigras, rarius cœruleas, albasque vero quasi rarissimas, vt & virides. Meliores etiam sunt proprio colore & essentia mixti sigillatæ, copia minori respectiue, (quamuis sulphur sit maxime omnium diffusiuum) & capite mortuo post extractionem magis inertis relicto.

Notabile hinc porro est, extractionem hanc & expansionem sulphuris in tincturis fieri vel ab intra, vel ab extra; illud in tincturis primariis obtinet, hoc in secundariis magis, quando ars succurrit defectui coloris, etiam actiuorum  
medi-

medicamentorum. Negandum vero h. l. non est, & menstrua ipsa quædam partem tincturæ de se largiri quoque. Meliores sunt illæ, colore suo & virtute pollentes, neque tamen extraneæ tincturæ æque sunt reiiciendæ, modo vires reliquæ respondeant.

Laudandum eo nomine Sandalum rubrum, ob eminentem sulphur temperatum; item torna solis aliquando, vt in tinctura aperitiua Mœbii, radix alcannæ, in oleo bezoardico; flores papaueris rhœados, terra Iaponica, cochinillæ, in tinctura nephritica, &c. Imo & ipsa mixtione id impetratur in quibusdam, vt in tinctura Martis temperata, seu Martis Zwelfferi extemporanea, & antiphthifica Gramanni est verissimum; ne de destillatione, & digestionē ipsa plura dicamus.

Quæ hic desiderari possent plura, in exemplis magis clarere queunt. Sic in tincturis florum acido-aquosis seu diffusis, non minus ac aqueo-alkalics aliis, notandum est, quod ob partes terreas, quibus sulphur implicitum est, solutas & patentes, accedente calore facile impetrentur, sed minus ferant ætatem, situ breui corrumpendæ.

Præstat hinc parare illas, (1.) minori quantitate, (acidulas v. g.) & tantum non ex tempore quasi, (2.) aqua feruente affusa, vel coctione accedente, (3.) non nimis acidulare: quo nomine spiritus salis, vitrioli, clyffus antimoni, ne spiritum nitri dulcem memoremus, inferuire potest, ipsumque acetum destillatum reliquis acuendum, vt in aqueo-alkalics sal Tartari primas tenet, ad expandendum viscidum sulphur.

*Tinctura Violarum, florum papaueris rhœados, bellidis, &c.*

R̄ florum horum, vnus vel alterius, recentium vel potius siccorum q. v. affundatur aqua simplex, vel destillata rosæ maialis, (vel acetum destillatum ipsum) aciduletur spiritu salis rectificato, vel vitrioli, vel nitri ipsius parum,

rum,

rum, vel clyſſo antimonii ſulphurato: (qui & ſolus ſufficit tincturæ optime extrahendæ, & quidem concentratæ ſimul.) Stent per aliquot horas ad ſufficientem tincturæ extractionem. Vires ſunt alterantes & refrigerantes, varie remiſcendæ in potionibus, in iulepis, indendæ in potum in febribus, variolis, pleuritide ipſa, (cum ſpiritu ſalis,) &c.

*Anima Rhabarbari.*

Sic & lentor gummoſus. reſinoſus reſoluitur, & egregie in tincturam ſanguineam temperatam expanditur, ex rhabarbaro. & rhabarbari electi pulveriſati ꝑj. ij. ſalis Tartari ꝑß. (vel olei per deliquium ꝑiſſ.) affundatur aqua fontana (vel vaſe claſſo deſtillata, vt aqua hepaticæ nobilis) q. ſ. v. g. menſura vna: coquatur in olla fictili per horam vnã circiter, ad ſufficientem tincturæ extractionem. Hinc colatura per linteum facta cum expreſſione ſegregetur, & per ſubſidentiam depurata, vel etiam per chartam laxiorem filtrata, (quod minus facile ſuccedit:) vt ætatem ferat, miſceatur cum eſſentia antimonii Tartariſata, & ſeruetur ad uſum. Repeti poteſt pro re nata decoctio, pro intimius exhauriendis viribus.

Eximii eſt uſus ad purificandum ſanguinem, in ſcabie, varis, gutta roſacea, ad aperiendum, & leniendum in ictero, febribus intermittentibus, tertianis, alui obſtuctione, &c. danda ad gtt. 30. 40. & longe amplius. Reddi etiam volatilis & roborari poteſt pro aliis uſibus, v. g. cum ſpiritu ſalis ammoniaci pro uſu cephalico, antimelancholico, vterino, &c. pro uſu laxandi, cum tinctura Martis aloetica, &c.

Et ſane acidi & alcali acceſſione vt ſulphur variari, expromi & extrahi diuerſimode poteſt; ita modo illud, modo hoc ad tincturas apparandas facit, ſeligendum ubiuis, quod poris & mechanicæ huius vel illius mixti magis quadrat. Sic exemplum acidi apparantis egregium præbet.

X

Tinctu.

*Tinctura Sandali rubri :*

seu solitarie sibi relicta & primaria fiat, seu in compositis quoque potius, ad tincturam æque ac vires augendas. Cum enim sulphur terreum eidem insit, idque intimius immersum, saturatumque & eminens, ad extricandum illud irroratur prius, vel impastatur quasi, v. g. ℥j. ij. rasuræ cum spiritu vitrioli, vel alio scopo, spiritu salis. Hinc affuso spiritu vini extrahitur tinctura elegantissima, sanguinea & saturatissima. Inde fit etiam tinctura sicca, v. g.

*Hepaticum rubrum.*

℞ crystall. Tartari puluerisat. cribellat. q. v. v. g. ℥iv. v. vj. in concha vitrea infundatur & impastetur tinctura Sandali rubri sufficienter extracta, terendo & mouendo cum pistillo vitreo, miscela intimiori facta. Hinc exsiccatetur lente, exhalante spiritu vini in aerem, & denuo tinctura sandali rubri affundatur, eodem modo procedendo, donec satis tincta massa appareat; unde & pro lubitu tertia vice id repeti potest, quo tamen fere non opus est.

Vsus est hepaticus, stomachicus, refrigerans, in varis, gutta rosacea, cruditatibus biliosis & pituitosis, tum per se, tum cum oleo ligni sassafras, caryophyllorum, cinnamomi, puluere stomachali Quercetani, radice ari, saccharo ipso & aliis, seorsim etiam in pollutionibus nocturnis. Dosis ℞j. ʒß.

*Tinctura Tartari.*

Admodum inter se affines sunt tincturæ Tartari, filicum Glauberi, Tartari composita seu nephritica, & tinctura antimonii Tartarifata, vt vix opus videatur singulas in officinas vocare.

℞ salis Tartari sicci ℥iij. iv. Calcinetur in crucibulo, igne furni anemii fortiori, per horam vnam alteramque, donec in superficie cœrulescat quasi, & sic poros aptatos  
magis

magis ad concedendum spiritui vini in sulphur subtilius & salinas atomos ingressum notet. Affunditur hinc in cucurbitula minori cum alembico, vel alio vitro angustioris orificii, puluerisato sali sic preparato spiritus vini Tartarificatus, nullo modo vero non rectificatus, ad aliquot digitorum eminentiam, digerendo in calore arenæ, donec color e flavescente rubellus emergat, sapore etiam respondente magis. Usus est aperitiuus, anthypochondriacus, diureticus, nephriticus, leniens, in calculo, colica, cardialgia, flatibus, dysuria, mensibus suppressis, &c. per se & cum oleis absorptis roborata, dosis gtt. xx. xxx. Quæ omnia & de reliquis dictis eiusdem commatis intelligenda.

Fortior redditur adeoque acrior quoque composita cum calce viua ana, eodem modo procedendo, acuato sic magis sale; vel cum oculis cancrorum quoque, vnde nephritica illa audit variorum. Extrahit quoque vtraque essentias, balsami de Peru, gummi opobalsami, & aliorum.

*Tinctura Antimonii Tartarificata.*

Fit vel secundario quasi processu, seu composito saltem, in preparatione reguli cum nitro & tartaro, combinato alcali vtriusque, & sulphur antimonii secum recondente; vel seorsim sine nitro quoque cum sale tartari, eodem scopo, si regulum excipias, qui & ipse tamen curiose vna emergit, tum per se, tum cum additamentis aliis quoque. Estque processus hic communis, (1.) pro sulphure antimonii parando, de quo suo loco, (2.) pro tinctura antimonii elegantiori alcalica.

℞ Antimonii Hungarici ℥iv. salis Tartari ℥iix. Puluerisata misceantur, & indita crucibulo stent in igne rotæ, per vnâ alteramue horam, vt bene fundantur, (pro lubitu addi etiam potest cinnabaris nativæ ℥j. quæ tamen tota sic aufugit.) Hinc exempta cum refrixerint pulueriscentur, & affundatur spiritus vini Tartarificatus, ad aliquot digito-

X 2

rum

rum eminentiam. Stent per aliquot dies in digestionē, ad tincturæ rubellæ sufficientem extractionem.

Pro sulphure vero antimonii impetrando. seorsim soluitur cum aqua simplici eadem massa, & aceto præcipitatur, l. a. in fundo vero simul obtinetur regulus Antimonii, pro suis vsibus impendendus.

*Tinctura Antimonii cum spiritu viridis æris.*

Vt iam dudum notauit Basilius Valentinus, vim emeticam antimonii ab acidis cicurari ac conticescere; ita iuxta eiusdem & Zwelfferi ductum, ( præter menstruum alcalicum) ex vitro eiusdem hyacinthino, seu croco metallorum puro, vt ipse Basilius vult, parari potest tinctura, quo de ipsi legi possunt, cum spiritu viridis æris seu solo primario, vel secundario iam vsurpato semel, vel commixtione cum minera antimonii destillato; hinc vitro antimonii puluerisato asperso, digesto & abstracto, hinc cum spiritu vini denuo facta extractione. Plura de his videantur apud Paracelsum ipsum, & Valentinum.

Magnæ famæ quoque est *tinctura Coralliorum*, adeo vt hyperbolicæ eidem laudes tribuantur, ultra sphæram eiusdem actiuitatis, ex qua hypothefi, in defectum genuinæ præparationis, culpa effectus denegati reijci sæpe solet. Sufficit nobis h. l. sulphur fixum lucidum & purius, temperans ac confortans, in iisdem omnino deprehendi, & in liquido quoque inuestigari posse.

Ad apparandam eandem ille processus sine dubio est melior, qui vires elicit & conseruat, non pessundat. Hinc facile patet, quid sentiendum de calcinatione præuia, per se & cum aliis, cum igne solari, seu cum sulphure, nitro, pumice; seu sublimatione tum crudorum, tum salis improprie dicti eorundem: quorum quædam peruertunt & immutant, quædam non sufficienter exhibent, quædam aliam potius tincturam.

Ad



Ad extrahendum ergo, menstruum alii eligunt aqueum ipsum, saltim ad demonstrandam tincturæ possibilitatem; alii oleosum cum cera, cum oleo oliuarum, cum oleis destillatis varie tractando eadem, quæ omnia per se facile etiam rubedinem contrahunt. Alii acida fortiora vel mitiora, implicita, explicita, via sicca & humida, igne aperto vel clauso. Et hæc exceptis fortioribus, media puta, sunt meliora, ut præter acetum destillatum, succus citri, vinum acidiusculum, acetum pomatum, menstruum Holsaticum, imprimis spiritus mellis, sacchari, vel mannae & lignorum, de quibus superius iam diximus. Satis fit, in his sensibus visi partim solutas atomos subtiliores, partim colorem a spiritibus illis, per se non obtinendum illo gradu.

Præcipua vero e metallis petita est *tinctura Martis*, seu usum spectes, seu effectus & variandi modum, qui sane necessarius est & perquam commodus. Polychresta hinc illa neutiquam carere possumus in praxi, morbis cumprimis rebellibus, chronicis ac tædiosis, non vnis phænomenis.

Vtut enim hinc in omnibus sulphur vitriolicum terreum præbeat basin, diffusionem seu expansionem, & vires; non vna tamen est, sed mirum quantum varians, & quidem v. g. (1.) respectu *subiecti*. Parari enim possunt ex corpore ipso, seu limatura martis, tum simplici & cruda, tum iam præparata, ut croco ipso, quamuis non æque omni.

Ita satis elegans fit tinctura martis cum aceto ipso, adiuuante ex parte tritu, vel sola potius mora sufficiente, unde & crocus haberi potest elegans. Minus vero quadrat, vel succedit cum aceto destillato, sed guttulas hæc citra accessionem spiritus vini paulo grossiores obtinet.

Sic tinctura Martis duplicata quasi, nobis dicta, elegantissima fit ex capite mortuo tincturæ martis cydoniatæ, si extrahatur cum aceto, sanguinei saturati coloris & elegantissimi, seu sibi relictæ, seu cum tinctura martis cydoniata mixta, item ex vitriolo martis quoque; seu forma sicca

X 3

para-

parato, sublimando cum duplo salis ammoniaci, vel mercurio sublimato quoque; seu forma humida, vulgari modo.

(2.) respectu *menstrui*. Cum enim terra martialis sulphure vitriolato obfignata sit, puro illo, nec naturæ ingrato & absorbente, nullum in martialia, præterquam indirecte, habent ius alcalia, sed menstruum genuinum potius sunt acida, eaque non fortia, (quæ in vitriolum potius eadem cogunt,) sed mitia, fluida & concreta; obstetricante aqua, explicita, vt in aceto, implicita in vino maluatico & mulsa, quamuis hæc minus congrua sit, & media, vt arcanum tartari, ipseque crudus vel crySTALLI.

(3.) respectu *Coloris*. Sunt enim tincturæ martis nigræ, rubræ & crocæ præcipue. Ex limatura & acidulis nigræ, ex acidis rubræ, vt & ex vitriolo & arcano tartari, crocæ ex floribus, & mediæ quoque non vnæ; singulæ cum insigni latitudine, pro varia scilicet sulphuris & ochræ expansione, & prædominio mixturæ huius vel illius.

Speçtat huc quoque cærulea, ex croco martis ammoniacali, sale retuso vel ablato prius, cum spiritu salis ammoniaci, quæ tamen infida paulo est, nisi sit venerea, varians pro subiecti & menstrui ratione.

(4.) respectu *effectus* & virium, quod cum croco martis habent commune. Sunt enim vel aperientes, vel adstringentes, vel mediæ roborantes. Omnes habent aliquid tonici, quod in bonis habendum est, quandoquidem & aperientes fibras nerueas, & elaterem viscerum roborant simul; ne repetamus, variare id pro salium vel ochræ exsuperantia.

Vna vero vires in aliis magis sunt diffusæ, in aliis concentratæ. Aperientes humectando, diluendo, fermentationem sanguinis restaurando, saturando, edulcando officium faciunt. Profunt in obstructionibus ductuum, tubulorum, pororum & viscerum, laxitate elateris, acido, viscido, pituitoso, biliioso exsuperante, non neglecta fluxilitate debita, vt in affectu hypochondriaco, scorbuto, mensium obstru-

obstru-

obstructionē, ictero, cachexia, hydrope, atrophia ab obstructione, indeque productis febribus intermittētib, aliisque.

Adstringentes in fluoribus & laxitate varia conueniunt, habito in singulis intuitu ad circumstantias coniunctas, statum viscerum, lymphæ, bilis, salium, tartari, caloris præternaturalis, &c. Mediæ his affines, vtrique scopo satisfaciunt.

Speciatim tinctura Martis cum vino Maluatico, ab acido huius occulto sensim extracta, diffusior roborat, & in delicatioribus, debiliori ventriculo, coniuncta cruditate locum habet, in mensium suppressione, vomitu hypochondriaco, vlceribus renum, &c.

Succi aciduli omnes menstruum præbent accommodum ad tincturas martiales, acetosæ, citri, pomorum Borsdorffianorum; nostro vero more & experimento cum primis cydoniorum, frustra obiecta a nonnullis vi adstringente.

*Tinctura Martis Cydoniata.*

℞ limaturæ martis finæ ℥j. ij. iij. affundatur succi pomorum, vel, quod melius est, ob vim roborantem & aromaticam lenem, cydoniorum, præuio tritu vel rasura expressi, & per subsidentiam atque filtrationem depurati, (vel etiam citri) q. s. vt emineat sex vel octo digitis. Fit id ipsum vel in vitro capaciore, vel potius olla vitreata, subinde baculo ligneo agitando. Horum alterutrum si fissum fuerit ab ætheris pressione, semel iterumque reaffusus succus & tranans, longe elegantius tingitur, vt & consultius ex capite mortuo semel iam extracti martis. Stent eousque in leni digestionē, donec sufficienter tinctura nigricans fuerit euocata.

Hinc pro re nata, vel sibi relicta, vel aliquantum etiam abstracto vel euaporato humido, affundatur spiritus cochleariæ subtripulum circiter, facta iterum motitatione. Hæc enim tum ante extractionem tincturæ, tum post illam, grumos præ-

præ-

præcauet, qui si appareant etiam pituitosi quasi, auferri etiam possunt. Tinctura ita parata seruetur ad vsum, impendenda tum per se, tum varie miscenda, v. g. cum spiritu salis ammoniaci, vel liquore cephalico, in tinctura Martis volatili, vel cum spiritu Tartari, cum aqua summitatum abietis, cum arcano tartari, mistura antiscorbutica, tinctura Martis duplicata, liquore Martis simplici & solari, oleo citri vero, & laudatis aliis polychrestis. Quod vero

*Tincturam Martis Solarem.*

attinet, communiter dictam, nil aliud est quam essentia, vel solutio potius vitrioli, adeoque paulo grossior.

Et mineræ Martis solaris Hassiacæ (Germanis *Hücker*) v. g. lbj. vel plures. Noti sunt etiam alias de natura huius, sed delicates longè, globuli Viadrini. Exponantur aëri, solaribus radiis illustrati eousque, donec sensim sensimque efflorescat in flores albicantes luteosque, sicque ipsa minera concidat.

Hinc infundatur cum aqua roris maiialis destillata, vel aqua summitatum abietis, quod melius, vel simplice ipsa q. s. Facta agitatione solutio filtretur, & seruetur ad vsum essentia subflauescens. Vsum habet cum aliis tincturis martialibus communem, in dictis affectibus, cauendo tamen ne Phthificis, vel quasi talibus, & hæmoptycis propinetur. Roborat ventriculum ac intestina, abstergit pituitam, chylum edulcat, vasa obstructa aperit, & feruorem contemperat, ipsasque sic acidulas suo modo exprimit. Dosis, guttæ xx. xxx. & amplius, prout saturata est.

Potest etiam tingi aliquot guttulis arcani Tartari instillatis, sed magis ex tempore & in præsentem vsum, alias enim præcipitatur, & quasi concrefcit ochra tartarea. Longè rectius vero & curiosius fit, ad instar essentia vitrioli Martis iam descriptæ.

*Tinctura*

*Tinctura Martis Tartarea.*

Fit adhibita clauē, nempe acido Tartari, accedente coctione Marte expanso in ferreo vase, vnde & recluditur centrum eiusdem, & acidum Tartareum immutatur, vt, cum vitriolicum quasi in morem alia acida cum Marte dulcescant, hic falsus emergat sapor.

Ipsa hæc debilior quidem paulo videtur, humectat tamen egregie, & fermentationem sanguinis promouet, vnde & ex capite mortuo rob, pilulæ, & alia martialia, a resolutione illa haberi queunt. Affuso vero spiritu vini precipitatur pars tartarea.

Alias vero accessione radicis hellebori nigri veri roborata, (quæ est tinctura Martis helleborata) immutandi, leniendi, referandi fine, egregia euadit & peculiaris, quæ tamen & compendiosior obtineri potest, communi cum tinctura Martis cydoniata processu, & con fermentatione. Alias optime in locum Martis crudi successit essentia vitrioli Martis Ludouici, iam laudata, per se vsitata & cum aliis miscenda.

Cum vero fuco & larua ablatis, e re ipsa philosophari didicerimus hodie, sobrie admodum de tinctura Lunæ imprimis, vt & Auri, & similibus pretiosiorum, sentiendum. Enimvero Luna sine nulla tinctura cœrulea gaudet, vt nec metalla albicantia alia tincturis quadrant, acida vero austerum ingratum saporem eidem conciliant. Verbo, Venerea est, & sic peregrina, nullius hodie pretii. Vicaria tamen Lunæ & Veneris tinctura esse potest, ex lapide Lazuli cum spiritu salis ammoniaci extracta; egregia sane, si successerit, nec nauseam citans, vt Lunæ illa: neque enim venere ipsam, actu inde eliciendam, æque secum habet lapis Lazuli: in affectibus cerebri, cordis, vteri, &c. non infimæ virtutis.

Y

Idem

Idem & de auro potabili, vt vocant, seu essentia & tinctura auri, vt & gemmarum, sentiendum. Vtut enim aurum sit confortans infigne archei, sulphure temperatissimo & serenante luculam vitalem pollens; ideo tamen vltra sphaeram actiuitatis eius non est hyperbolice nimis de eo iudicandum. Neque etiam e contrario reiicienda sunt medicamenta solaria, seu humida, seu sicca forma adhibita: vti sunt, qui aurum Philosophorum potius hoc nomine dignantur, ipsamque sic tincturam Tartari vel Antimonii pro tinctura auri habent, quidam sobrie, alii turpis lucri causa, pretio aucto nimis, cum ne atomus quidem auri insit, pro aurea vendentes.

Non dicemus de viribus menstrui ipsius, non parum in his conferentis. Satis sit, vera & genuina de auro participantia medicamenta, confortandi vsu saepe summe fuisse etiam a nobis deprehensa proficua. Opus etiam ad tincturam est clauē vna vel duplici potius, vt ingressus hinc detur, spiritui vini, parando v. g. prius croco seu calce auri, & hinc excussis corrosiuis spiculis exinde parare essentiam, mensuris partim acidulis mediis, in terram & sulphur agentibus simul, vt spiritu mannae, partim aliis.

Cumque essentias seu tincturas incorporeas sibi fingere minus sit conueniens, nec solutiones illae coloratae seu tinctae putatae sunt de nihilo. Aliud vero est tinctura philosophorum, & solutio auri philosophica in suos vsus, vbi tamen extractio animae auri pro tinctura vniuersali ab ipsis Philosophis reiicitur.

Tacemus tincturam sulphuris vitrioli, ex terra vitrioli dulci martialis naturae, prius spiritu salis composito abstracto, hinc cum spiritu vini extractam, tincturae Martis adstringentis aemulam, cuius vsus hodie non adeo frequens est. Hoc vero experimento repeti potest, liquorem martialem quoque ex colcothare vitrioli cum sale ammoniaco sublimato commode fieri posse.

Agmen

Agmen claudat Tinctura & Balsamum sulphuris, e sulphure eiusue floribus simplicibus & antimoniatibus parabilia, illa vero paulo rarior est, cum facile nauseam citet, & precipitetur; alias abstracto prius balsamo & sulphure concentrato cum spiritu vini extrahenda, vel ex hepate quoque sulphuris dicto. Frequentius est balsamum sulphuris, quod inter tincturas & extracta quasi medium est, primo in internum & externum diuisum; vtrumque iterum secundo liquidius respectiue paulo improprie, alterum proprie magis tale, spissum. Tale est balsamum v. g. sulphuris anisatum vsitatus, subtiliori tinctura e sulphure in oleum transfusum. Adeoque tertio aliud simplex, aliud compositum magis, quod vtrique competit quoque.

Adiuuat extractionem tincturae & balsami huius (1.) sal Tartari additum, non aequae vero virtutem; (2.) sufficiens calor, imprimis pro vsu externo si desideretur, vt consistentiam spissam olei Tartari destillati v. g. similem consequatur.

& florum sulphuris, vel florum sulphuris antimoniatorum, ex clysto antimonii sulphurato habendorum, q. v. v. g. ℥β, olei anisi ad eminentiam aliquot digitorum: stent in digestionem eousque, locando in fornace calida, donec oleum & tinctum, & saturatius spissatum satis pro lubitu & exigentia sit; sin ocys idem desideretur, igne arenae peragitur.

Tacemus huc pertinens balsamum Samech, ab Helmontio celebratum, & alia pro vsu externo, & balsamum sulphuris cum oleo terebinthinae, sambuci, pini, &c. paratum, vbi coctio variat, & pro vsu externo magis spissa per dicta requiritur. Internum pectorale est, in tussi, asthmae, empyemate ipso & phthisi, sed non nisi refracta magis dosi, minusque in calidioribus subiectis, vbi vt & excessu facile nocet, vti vulgo est frequens ad abusum vsque.

Exterius traumaticum, in vlceribus sordidis, cacoethicis, venereis, cancriosis.

## LIBRI QVARTI

## CAPVT QVARTVM,

De

*Extractis.*

PLura extractionum nomina a diuerso extrahendi modo enata sunt. Generalius liquida ipsa ita audiunt, essentia inprimis vulgo, tincturae, elixiria; stricte & specialius magis spissa, concentratiora, a menstrui abstractione resultantia ita dicta; ne de decoctis & infusis Galenicorum, & quasi extractis diffusis, dicere repetamus. Variant ergo a reliquis, tum a posteriori maxime, tum etiam a priori.

Subiectum enim principale & genuinum extractorum, constituunt minus volatilia, seu sale volatili vel sulphure oleoso dissipabili cum menstruo auocando constantia; sed magis fixa, quae vires suas non per alembicum dimittunt, sed in fundo retinent, vt amara, dulcia, adstringentia, colorata magis, purgantia, opiata, resinosa; eaque non grossiora & diffusa, quo rob & succi expressi & inspissati spectant, ipsa adhuc extractorum subiectum, sed concentrata magis & puriora, subtilioraque. Dantur tamen etiam media, vt theriaca.

Ceteroqui menstrua etiam hic appropriata sunt eligenda, pro resinosis spirituosas, spiritus vini, pro gummi-resinosis aqueas, spirituosas & acidas, quorum illa abstrahi gestiunt in maiori quantitate, haec euaporari saltem.

Nota vero illa esse optima menstrua, quae tota ad sensum auolare apta sunt, pura illa, nec sui characterem relinquunt in extracto, seu feculentum terreum, seu acidum; vnde spiritus vini non nisi rectificatus adhibendus. Aquea vero vt simplicissima, ita optima. Acida magis correctoria, vulgo



vulgo habentur, v. g. in Opiatis, quo tamen vix opus est, si quidem coctione, quæ in aqueis, & digestionem, quæ in spirituosos obtinet locum, omne id expediri potest.

Adde, optima esse, quæ nec directe, nec indirecte vires peruertunt, exemplo aloes, quæ laxandi fine aqueis magis, vt alterandi spirituosos, acidis neutro commode extrahitur. Neque opus est, componere extracta sale proprio addito, præterquam pro determinato scopo.

Denique in euaporatione modus tenendus, ne empyreuma contrahant, & inæqualis consistentia extractorum reddatur; vnde & hic mora locum habet, præcipue in illis, quæ in puluerem hinc, vel pilulas quoque facessere debent. Vt vero sufficiens fiat extractio, tum menstruum sufficienti quantitate additum, tum calor externus, & tempus debitum requiritur. Hinc facta communicatione & expromtis viribus, fit decantatio, filtratio, colatio, expressio ipsa & inspissatio.

Pro Opio extrahendo notabile est, (1.) consultius esse extractum eiusdem simplex præ laudano, seu composito, cuius dosis vtpote indefinita magis, & consequenter effectus non ita certus sperandus, quod item non omnibus circumstantiis aptum & indifferens. (2.) Cum sulphure polleat, resolutibili, ob sal volatile simul, vt gummi-resinosum extrahi quidem potest acidis, acidulis, spirituosos & aqueis; sed si fateri volumus quod res est, aquea hæc omnibus sunt præferenda. Ita enim (3.) coctio ipsa laudata & depuratio omnem correctionem prætentam sulphuris indigesti narcotici supplet & superat, citra accessionem heterogenei cuiuscunque, extracto simplici & puro obtinendo.

Idem hinc est processus Extracti atque Tincturæ anodynæ, nisi quod euocando menstruo blanda euaporatio producit ad mellaginem, sensim paulatimque debita Extracti consistentia obtinenda, quod hinc & puluerisari potest, & in alias formulas addi, & redigi.

Y 3

EA

Est hinc sedatiuum vt simplicissimum, ita optimum, archei, in doloribus, vigiliis, effluxionibus, catarrhis, excretionibus tenuibus, fallis, acibus, sanguinis & feri, in hæmorrhagiis, in diarrhœa, dysenteria, cholera, reliquis omnibus si non anteferendum, saltim colophonem & pondus addens. Valet id tum scopo & dosi primaria quodque, tum secundaria & refracta frequentius, & sic cautius adhibendum, cum bezoardicis, neruinis, vterinis, stypticis, quæ completa magis reddit, aliisque. Minus vero præterquam dicto modo, vt in puluere absorbente ipso, in viribus debilibus & exhaustis, in infarctu humorum & morbis crassis. Est simul resoluens, sudoriferum, aphrodisiacum, &c.

Nota, ex capite mortuo calcinato vterius in puluerem, vel a priori etiam addendo momentum spiritus vitrioli, pro fixatione, impastatione, & remoranda combustione, obtinetur puluis nigricans sub sulphuris anodynii titulo, sed debilissimus, saltim variandi & tingendi quasi alio titulo.

Pertinet huc & magisterium anodynum, seu puluis anodynus dictus. Potest hoc fieri cum quouis puluere, & sic velut in puncta dirimi extractum opii, v. g. cum saccharo ipso, cum cornu cerui philosophico, conchis præparatis, cinnabari natiua, ne dicam de compositis aliis, v. g. granum vnum ad ℞. vel ℞j. recipiendo.

Ad eundem modum se res habet cum aloë, seu recludatur simul per fermentationem, seu per se in extractum vocetur. Illo modo confit egregium, v. g.

*Extractum Laxatiuum,*

seu massa pilularum lenientium Tartarearum. ℞ aloës Socoterinæ ℥iv. sennæ electæ ℥j. limaturæ martis, crystallorum Tartari a. ℥ij. colocynthidis, fibr. hellebor. nigri a. ℥℞. Puluerifata gr. m. coquantur in olla vitreata cum aqua simplici, leni carbonum igne, ad sufficientem solutionem & extractionem. Hinc colatura fiat per linteum, & leni igne facta euaporatione inspissetur, cauendo sedulo omne  
empy.

empyreuma. Hinc mature effundatur in concham vitream, vel potius in vesicam, affuso aliquantum olei oliuarum, vel amygdalorum dulcium sine igne. Stent eousque, donec impetrata extracti debita consistentia, massa ad pilulas formandas apta fiat; quæ omnibus pilulis lenitiuis, aloë rosatæ, violatæ, & secretioribus habitis aliis, facile palmam præripit, vel paria præstat.

Ex hac fermentur pilulæ minores n. x. xv. xx. ante, vel post cœnam capiendæ, vbi alius laxanda est, imprimis in hypochondriacis, febribus, aliisque casibus, vbi aloëtica non nocent, blandæ & tutissimæ, etiam in pueris, senibus, puerperis; cauendo tamen ab usum, præcipue in dispositione ad hæmorrhoidum fluxum, ad hæmoptysin, in siccioribus.

Idem valet & simplicius leniendi & alterandi ac aperiendi vsu solum (etiam sine helleboro & colocynthide) si fermentum aloës martiale fiat. R. aloës Socoterinæ, limaturæ Martis finissimæ a. ʒj. crySTALLORUM Tartari ʒß. Infusa cum aqua roris maialis vel simplici, imprimis leni calore vel aeris vel fornacis, breui egregiam subeunt fermentationem: ex quo phænomeno, præter alia, & purgantium energia demonstrari queat, ne dicam de nobilioribus arcanis.

Cum verò non adeo abluant a se inuicem quoad texturam & vires genericas ingredientia Extracti Catholici, commode simul extrahi possunt cum spiritu vini pro massa pilularum. Notandum tamen, ob minorem resolutionem respectiue minus purgare resinas vel extracta, optime vero se gerere, si interstinguantur cum aliis, vt resina gialapæ cum puluere gialapæ in substantia, ana, vel aliter mixta.

Ex compositis alterantibus optima est Theriaca cœlestis, non tamen adeo cumulatis pretiosioribus, & varie subinde mutatis ingredientibus conficienda, vt alibi diximus; salua tamen dignitate & viribus theriacæ Andromachi, quæ ob fermentationem præuiam satis laudari nequit.

LIBRI

## LIBRI QVARTI

## CAPVT QVINTVM,

De

*Elixiris.*

**E**Lixiris quidem nomen tribuitur arcano Philosophorum, inde vero & compositis iisque polychrestis selectioribus, seu tincturis, seu essentiis, præcipue compositis; principaliter alterandi & roborandi, adæquate & purgandi, sed rarius, sine, pro determinato specifico principalium viscerum vsu; vnde cephalica, pectoralia, antiscorbutica, stomachica, vterina, &c. huc pertinent & in vsu sunt.

Quamobrem perinde est an a priori, combinatione & extractione in illum finem selectorum ingredientium simpliciorum, hæc compositio & præparatio instituat, quod ipsum fere magis in vsu & solenne est; an a posteriori, combinatione essentialium simplicium inter se, an combinatione extractorum iam appropriatorum, denuo repetita extractione seu solutione, fieri id placeat.

Sequuntur ergo elixiria leges essentialium & tincturarum compositarum, vt inter se selecta homogenea symbolica specifica, quoad substantiam vel vsu, extrahantur, menstruo primum spirituofo-vinoso, simplici vel appropriato, hinc pro lubitu acidulato; omissis sirupis, salibus & aliis, quæ vel immutare, vel diffundere magis virtutem possunt.

Vt vero magis actiua fiant Elixiria, roborari etiam queunt & decomponi, concentratis aliis additis, variato sic sæpe colore & virtute. Ita reddere ipsa licet volatilia, accessione spiritus salis ammoniaci, (vnde & elixir proprietatis rubrum fit) oleosa, vel aromatica, additis oleis destillatis ad gtt. j. ij. Martialia per liquorem vel tincturam Martis.

Singu.

Singula illa illustrari possunt exemplo Elixirii Proprietatis, v. g. ꝛ aloes Socoterinæ, myrrhæ el. a. ꝛj. croci saltim ꝛß. ne *vaexwot* vel eminenti colore fiat ingratius. Affundatur spiritus cochleariæ q. s. acidulandus hinc, post aliquod tempus, affusa ꝛß. circiter spiritus salis rectificati.

Neque hoc acidum, ventriculo & primis viis potius gratissimum, vilo modo timendum est, vt elixir proprietatis sine acido egeamus, quod liberum quidem est, etiam cum liquore cinerum clauellatorum, vel solo spiritu vini extractum; minus tamen tunc fuerit stomachicum, & exemplo per spiritum salis ammoniaci dictum acidum illud refractum habere integrum est. Adde, & ipsam extractionem longe meliorem fieri coniunctim, quam separatim.

Et reuera multi vsus est remedium, in affectibus ventriculi pituitosis, acidis & biliosis: tollit cruditates, aperit, hypochondria & aluum, inprimis largiore dosi, necat vermes, hæmorrhoidibus, mensibus & lochiis, imo & secundinis retentis subuenit, resistit putredini, vnde & in peste præseruatiue, minus vero in dysenteria, exterius in vlceribus quoque, non est inefficax.

Et simplex atque communissimus hic modus non inferior est aliis, ab hoc ipso variantibus, vel vulgo commendatis. Aromaticum & stomachicum magis fit cum aqua vel spiritu cinnamomi, qua per destillationem euocata etiam vti licet, sed citra hyperbolicas iactationes & encomia. Primaria enim vis ingredientibus, secundaria menstruo debetur omnino.

Sic & cum purgantia alia ab his ingredientibus non maiorem æque virtutem fortiantur, & essentiæ purgantes a priori rariores minusque fidæ sint; minus in vsu est elixir proprietatis purgans, & tale additione vel folius rhabarbari, vel resinæ scammonii, reddi facile potest, in obstructione alui hypochondriacorum.

Z

Cum

Cum ergo vnitas plurium specificorum vires exhibeant Elixiria, vsus eorum est eximius, concentratus & multifarius. Magis vero feligenda (1.) actiua selectiora, (2.) extractioni auscultantia, habita (3.) ratione indicantium & symptomatum magis concurrentium. Vnde, cum hinc inde exempla prostant, in specialibus recensendis occupari non opus est.

## LIBRI QVARTI CAPVT SEXTVM,

De

### *Gelatinis.*

**M**inus quidem tum in praxi ipsa hodie, præterquam vsu secundario, alterante & confortatiuo, tum Chimia selecta frequentantur GELATINÆ, ex officinis fere ad culinas magis vocatæ, & mensis secundis annumeratæ; nihilominus noscendæ, vt de modo fiendi & vsu certius constet.

Æmulantur nempe extracta diffusa & mucilagines, illa præparatione, has consistentia. Quod enim e vegetabilibus sunt mucilagines vel extracta quoque, cum aqueis parata e fructibus, quod in culinis etiam galredæ aliæ, in mechanicis gluten ipsum, id Gelatinæ h. l. Medicis. Tacemus seorsim succos inspissatos ribium, rubi idæi, cydoniorum, addito saccharo vel ichthyocolla quoque, pro gulæ deliciis fieri vulgo consuetos.

Curiosa obiter est quoque gelatina e corticibus citri, cum floribus sambuci destillatis vna ex cucurbita emergens, sed minus vsitata. Instar omnium est gelatina cornu cerui, vel loco huius eboris, eaque simplicior e rasura puriori media albicante, remoto externo cortice & medulla nigricantibus, torno apparatus, addito etiam saccharo fino & succo citri,

citri,

citri, &c. tenera, pellucida, delicata, resolubilis, gratissima, cum aqua f. q. coctione mediante resultans.

Alia hinc est quasi (1.) secundaria, in præparatione cornu cerui philosophici resultans, & ad spiritum cornu cerui album præparandum faciens; (2.) primaria, eaque utilis, bona vel media, vel inutilis, saltem pro nostro scopo. Optima illa est recens, non viscida, nec ad situm prona, quem facile contrahit. Sed gelatinæ sicca, dura, nigra ac glutinosa, ventriculum potius grauant vel turbant quoque, nec locum amplius habent, vt delicata illa bellaria, etiam mensis apponi hodie solita.

Virtutem suam debent sulphuri aqueo, puro, dulci, adeoque nutritibili, diluto temperato analeptico, cum sale volatili resoluto. Dulcis quidem etiam tussi & pectori quadrans, acidula febribus, facile tingendæ varie. Profunt & in atrophia, hectica, &c. Compositæ vero vel aliæ etiam simplices, præter hanc vnam quasi solam, & suillam domesticam, sunt exoletæ, neque facile in vsum vocandæ.

## LIBRI QVARTI

### CAPVT SEPTIMVM,

De

### *Vitriolis.*

**R**egno minerali propria sunt VITRIOLA, non solum ex mineris, verum quoque ex metallis oriunda; concreta quippe ex acido, & sulphure terreo seu ochreo metallico, simul vnitis. Vti enim ex solutione & præcipitatione eorundem diuersi fiunt croci, liquores & magisteria, ita ex euaporatione successiua seu crySTALLIFICATIONE vitriola.

Sicut enim, sensu teste, elementa vitrioli in croco metallico martiali-venereo, & acido-aqueo consistunt, ita si

Z 2

metal-

metallis ochreis, marti & veneri præcipue, paulum extra-  
uerfis, acidum minerale inprimis prius fluorem adeptum  
maritetur, coit illud ipsum in vitriolum.

Duo ergo requiruntur, (1.) materia ex qua, vt lauda-  
tus præcipue & maxime vsitatus mars, hinc & venus; (2.)  
menstruum acidum, præcipue iamdum vitriolicum, aliudue,  
iterum recorporeferi sic aptum, si terræ suæ sulphuræ, e  
cuius centro protrusus velut in exilium fuerat, reddatur  
liquor, seu spiritus vitrioli.

Nota hinc, 1. confieri vitriolum aliud natium, aliud  
artificiale: illud in subterraneo laboratorio, partim sta-  
tim suum, seu absolute tale, partim obstetricante arte, me-  
diante calcinatione aerea & aliis artificiis, e sua minera, non  
vna quasi. Ita vitriolum alias naturæ hermaphroditicæ, seu  
de vtroque participans, magis viridescens, vt Hungaricum  
& Saltzburgense, magis martiale obseruatur; cœrulescens  
venereum, vt Goslariense, & maxime Cyprium dictum.

2. Vitriolum fit vel via sicca, vel humida respectiue  
(substituendo tamen facile natiuo ipsi arte facto, præsertim  
in copia, ad parandum v. g. spiritum.) Illud partim tædi-  
oso magis processu, & pariori prouentu, si cum sulphure  
facta fuerit calcinatio; qui processus coincidit cum croco  
martis sulphurato alioue, vt ipsius veneris, facta cæmenta-  
tione vel stratificatione cum eodem, hinc solutione & coa-  
gulatione, directo & primario fine, hodie minus vsitatus.

Partim vero indirecto paulo scopo, pro non tam obtinen-  
do vitriolo actu, quam vitriolico vel liquore vel medicamen-  
to, aliis id fit artificiis eadem via. Sic huc spectat liquor  
martialis, vitriolicus reuera, cum sale ammoniaco subliman-  
do l. a. limaturam martis, vel etiam colcothar vitrioli. Sic  
limatura martis cum antimonio ana in scorias redacta, hinc  
cum mercurio sublimato propulsione ex retorta facta, idem  
largitur, vtrobiue acido minerali sicco concurrente & o-  
perante.

Fre-



Frequentius vero vitriolum arte chimica fieri solitum paratur via humida. Referendum huc experimentum, etiam per modum miscelæ vitriolicæ tale sal consurgere e spiritu vitrioli & spiritu vini mixtis, quo de dudum meminit Rive-rius, in mistura simplici ipsa quoque. Id vero licet minus frequentetur, phænomena tamen horum omnino illustrat egregie, quatenus spiritus vitrioli corporefit ab obiecto sulphureo dulci, immutato acido expanso. Tacemus viride æris crystallinum, cum aceto destillato factum, ipsamque animam veneris, & hinc crystallos, cum spiritu salis ammoniaci ipso.

*Vitriolum Martis.*

℞ limaturæ martis finæ q. v. v. g. ℥iij. spiritus vitrioli bonæ notæ ℥vj. Affunde spiritum, in vitro latiori, per vices, v. g. ℥ß. non simul atque semel, propter nimiam efferuescentiam & ebullitionem: fit enim inde efferuescentia calida, cum bullulis copiosis, & ipsa limatura sæpe ad siccitatem properat. Hinc ut temperetur utraque, & efferuescentia & siccitas emergens, nec spiritus vitrioli totus quasi coaguletur, & materia induretur; affundatur, ubi ℥j. vel ℥iß. circiter affusa est, subinde aquæ simplicis q. s. ℥ßatim v. g. coniunctim vero circiter ad ℥iv. v. vj.

Non nimis vero properandum est in infundendo, ut eo melius fiat solutio. Tandem omnibus ingestis, & ebullitione probe peracta, liquor superstans calidus quasi adhuc, (hoc enim melius, alias enim exsiccat, elutriando hinc aqua vitriolo) filtratus per chartam reponatur ad crystallisandum per se, citra ullam caloris coactiuam accessionem.

Ita habetur vitriolum martis viridescens egregium. Nota, quod in filtratione remansit, aqua affusa sufficienter elixiuiari potest; & si modo mora concedatur, liquor ille laudatus filtratus totus in vitriolum concrefcit.

Vsus vitrioli martis notus est, tum per se refracta dosi

in pulvere absorbente, gr. j. vel ne hoc quidem æstimando pro dosi; ad lipothymias præcordiales, hystericas; tum ad essentias seu tincturas martiales, aliasque compositiones varias. Tacemus, vitriolum martis per se posse misceri cum saccharo in pulverem. Caput mortuum, in crucibulo calcinatum, fatiscit in crocum martis aperituum.

Vt vero vitriola e metallis minus tinctis etiam parari posse pateat suo modo, exemplo esse possunt crystalli lunæ, descriptæ a Rolfincio, & prævio Angelo Sala cumprimis, qui & Lunæ hydragogæ titulo illos celebravit. Hodie tamen grossius id medicamentum pro interno usu minus usitatum est, pro externo vero loco corrosivi ad fonticulos sub lapidis infernalis nomine increbuit. Sic & saccharum saturni nihil aliud est, quam vitriolum eiusdem, siquidem eadem habet elementa, acidum & sulphureo-terreum metallicum, quamvis sui generis, & in sapore quoque ac aliis cum vitriolo habet aliquam convenientiam. Utrobique enim emergit dulcedo, acido per sulphur metallicum obtuso & immutato, vnde & sacchari nomine venit.

Recipitur hoc sine calx saturni, non tam cerussa vel lithargyrium, in unguenta & emplastra respectiue magis expetita, quam minium, utpote vltiori calcinatione magis pansum & porosum, v. g. lbj. vel q. v. affunditur acetum destillatum bonæ notæ, non simplex, ad eminentiam aliquot digitorum. Stent in leni calore, sæpius agitando eoque, donec perfecte dulcescat acetum destillatum, soluta parte sulphureo-metallica, & in superficie concretionem moliatur, pellicula cumprimis indice. Sin coctione quis vti velit, in arenæ calore idem promouebitur magis.

Decantatus hinc liquor vel filtratus, more vitriolorum & salium, vel euaporari potest penitus ad coagulum expetitum, vel, quod melius, ad crystallisationem salum, maxime si in copia id præparetur. Usam habet refrigerantem, an-  
taphro,

raphrodisiacum, constrictivum, internum & externum, & inter hæc ophthalmicum polychrestum.

Visitur interdum etiam concrefcere, ad latera vasis superiora, coagulum seu saccharum saturni viridiusculum, seorsim pro re nata colligendum. Ceteroquin vsu continuato facile ventriculum offendit, fluores vero lymphæ eximie compescit. Belgæ quidam in febribus ardentibus vsurpant quoque.

Nota, restitans a sacchari saturni præparatione in filtro minium, aceto destillato præparatum, præ vulgari longe consultius, in emplastra & vnguenta miniata, (v. g. ad varos, scabiem, &c.) recipitur, quippe magis hoc modo pansum & alteratum.

Duo vero huc referri possunt ad illustranda hæc, partim ad demonstrandam vitrioli sui generis texturam, partim tincturam latentem etiam in saccharo saturni euocandam. Tale est

*Magisterium Saturni.*

℞ liquorem, seu solutionem laudatam, cum aceto destillato super minium factum, decantatum prius vel potius filtratum, q. v. affundatur oleum tartari per deliquium q. s. inde in momento liquor albicans lactescens redditur, deturbatis in fundum particulis residuis, post filtrationem, & cum aqua simplici edulcationem, insipidis.

Vsum internum quidem rarius habet, v. g. in phthisi, exterius frequentius in erysipelate loco cerussæ (quam æmulatur) adhibitum, in pulueribus cum farina, vt & in collyriis potissimum, cum aqua chelidonii maioris, vnde fit lac ophthalmicum, in variolis & aliis vtiliter adhibendum. Tacemus vsum cosmeticum, ad ambusta, &c.

Alterum est *tinctura antiphthifica* dicta. Paratur hæc tum aliis v. gr. tribus modis in Pharmacia Acroam. descriptis, tum sequentibus non minus elegantibus.

Primo ℞ sacchari saturni ℥℞. vitrioli martis ℥ij. (saccharum

rum

rum saturni enim vbiuis præponderare debet) affundatur arcani tartari q. f. stent per dies aliquot, citra motitationem, ad sufficientem tincturæ extractionem. Addi pro lubitu potest spiritus vini.

Secundo ꝛ sacchari saturni ziiß. vitrioli martis zij. affundatur acetum destillatum, & hoc sensim euaporato, extrahatur tum spiritu vini. Vt itaque quocunque modo parata tinctura hæc saturnina est & vitriolica, (licet infidæ sæpe operationis,) ita prodest temperandi & adstringendi sine, in fluoribus lymphæ, sanguinis & seminis, v. g. sudoribus colliquatiuis, mensibus immodicis, sputo cruento, &c. concentrando fluidorum poros & fibras; & quidem partim cum spiritu vini facta, partim additione spiritus theriacalis roborata, vt ratio habeatur ventriculi. Dosis ad gtt. x. xij. xv. & ultra.

## LIBRI QVARTI CAPVT OCTAVVM,

De

### *Sulphuribus.*

**V**T Sulphur spiritus, olea, tincturas, pro sui & tractandi modo, & alia largitur; ita & proprio suo caractere, seu nomine hoc veniunt effecta Chimica, in forma sicca exhibita. Notabile hinc est, sulphur maxime variare, quatenus aliud est fixum, aliud volatile, aliud medium, purum item & impurum, vt alia huc non repetamus. Ex quo patet, quare non omne sit inflammabile, sed latius pateat.

Ratum hinc porro est, sulphur magis seminale esse principium, & virium potiorum hospitium, & κατ' ἐξοχὴν sulphura dici particulas inflammabiles, vel lucidas quoque e mixtis proleetas. Sulphur nempe per hodierna experimenta ex omnibus regnis demonstrari potest. Testantur id non  
tam

tam

tam antheræ, mel, resinæ; quam sulphur carbonum, sulphur glasti, phosphori ex vrina ipsoque sanguine, ne de viscido detonabili, malleabili, & aliis eidem debitis hic dicamus.

Speciatim celebratur *sulphur antimonii*. Pollet enim illud partibus metallicis, regulinis, mercurialibus, terreis & maxime sulphureis, præter implicitas illis acidas. Estque ab effectu & miscela vel impurum, prioribus illis, regulinis puta magis foetum, emeticum adhuc ex parte; vel purum, confortatiuum & diaphoreticum, quale in cinnabari & essentia antimonii visitur, & ab iisdem etiam separatim haberi potest, quamuis & citra hoc in usum commode cedat.

Illud vero, saltem respectiue tale, quod & auratum & diaphoreticum audit, fit via humida & sicca. Humida quidem, tum per alcalia, tum per acida. Alcalia collectiue & per symbolismum soluendo sulphur, directe id expediunt magis, seu primario, seu secundo fine, &c.

& antimonii puluerisati q. v. Coquatur cum lixiuio saponariorum s. q. affuso, vel salis Tartari prius cum eiusdem pondere duplo facta fusione, & hinc affusa aqua soluenda quarta hinc elixiuatione & filtratione. Par ratio est detonationis præuix, in præparatione reguli antimonii communis, cum vel sine Tartaro.

Huic lixiuio, quodcunque demum ex dictis placeat, assumere, satis saturato affundatur acetum simplex vel destillatum, vnde mox præcipitatur sulphur, facta inprimis transuasionem liquoris, & repetita vel sufficiente saltem, aceti affusione. Filtrandum hinc iterum, edulcandum & exsiccandum.

Indirecte quasi sulphur idem, & communis magis æmulum, expromunt etiam acida fortiora, quatenus terram aggrediuntur, & mediante hac sulphur, liberandum hinc tum aquæ affusione, & elutione, cum aqua forti facta solutione, tum inprimis caloris sublimantis cooperante virtute, quando

A a

scilicet

scilicet oleum vitrioli, spiritus nitri, vel eadem aqua fortis, ab antimonio puluerisato per retortam abstrahitur, sublimato sic vna sulphure citrino, quod embryonatum nonnullis audit.

Idem vero & via sicca obtinetur in copia, quando antimonium puluerisatum cum sale ammoniaco sublimatur, facile hinc eluendo & segregando sale, vt sulphur habeatur sibi relictum, si rite processeris, quamuis sub florum antimoniatorum compositorum nomine aliis veniat.

Sulphur auratum antimonii vsu pollet immutatio & renouatio, tum per se, si quidem minori dosi detur ad gr. j. ij. iij. in robustioribus, in scabie, lepra, lue venerea, phthisi ipsa & hectica, quod de puro saltim valet, tinctura antimonii sicca nomine, in febribus quoque intermittentibus, imprimis vero in epilepsia ipsa, maxime additione auri facta; tum alias in formas alteratum, vt exinde bezoardicum minerale, cinnabaris antimonii, & alia parari possint, vbi magis confortatiuum, sudoriferum, naturæ amicum & neruinum euadit. Tacemus sublimiores alios celebratos vsus.

Celebratur etiam sulphur anodynum vitrioli, quod & liquidum, seu spiritui ac imprimis oleo immersum est, odore, colore respectiue, & aliis testibus; vnde digestionem longiori inde etiam venantur curiosi, & sicca forma, in terra vitrioli dulci, quæ non raro hoc titulo venit.

Est nempe in eadem sulphur reuera, sed ochræ intime immersum, sulphur martiale-venereum, vnde & vomitus ciet vel nauseam potius aliquando, & virtute inuertente, absorbente, placante & demulcente correctum, externe & interne conspicuum, vulnerum & vlcerum etiam mali moris, hæmorrhagiarum, & aliorum insigne remedium.

Haberi potest idem sulphur (in purum & impurum itidem diuidendum) imprimis ex vitriolo soluto, præcipitandum cum alcalinis, quorum & lamellæ martis pertinent,

quæ

quæ inditæ acidum vitrioli saturant, vel sublimando cum sale ammoniaco ad instar antimonii, vel florum salis ammoniaci martialium, ex terra vitrioli dulci vel colcothare, (reuera tamen ochram magis exhibent quam sulphur,) quod remedium in rhachitide ipsa cum aliis non parum deprecatur. Licet vero sulphur hoc non æque sit, narcoticum in mineralibus, utpote fixius, minus vaporosum & resolubile; viribus tamen anodynis omnino & placatiuis pollet, si non separatim, saltem coniunctim cum aliis, modo sobrie de illo iudicetur.

Pertinet huc & Phosphorus iam laudatus, seu sulphur expansum concentratum, & motu tum alio seu frictu, tum aeris ipsius accessu, in lucidam scintillantem flammam facillime animandum, vnde & aqua simplici coercendum. Hic vero tum aliis modis & subiectis non vnus parandus, tum imprimis ex vriae solius magmate inspissato, cum vel sine additione capitis mortui ex aqua forti residui, vel sola arena, extremo igne propulso; quæ compositio & dicta, & alia illustrat magis.

## LIBRI QVARTI CAPVT NONVM,

De

### *Feculis.*

**V**T nihil intentatum relinquerent Chimici, etiam FECVLARVM inuenta est præparatio, manucente forsan more solito domestico in præparatione amyli, seu flore & cremore tritici, quæ ipsa instar & regula esse potest tum præparationis, tum etiam vsus fecularum.

Affines nempe sunt feculæ emulsionibus quoad præparationem, quatenus tritu vel frictu, vel contusione quoque comminuuntur intime particule, nominatim radicum certarum, mediante succo proprio, vel affusa aqua liquata,

Aa 2

inde

inde expressione ipsa & colatione mixtæ cum eadem, sensim subsident & separantur, hinc blande exsiccantur.

Vtut vero puluilli ipsi vegetabiles, ex radicibus potissimum excussi, in vsus cedant insignes, non ideo tamen feculæ promiscue & indifferenter sunt reuiculæ. Præstatur e. im sic partim correctio, viroso vel acri excusso succo, puluillis inde acquisitis farinaceis, vt mitius agant; partim subtilisatio, cum primis pro vsu externo & interno quoque, in deliciarioribus saltim.

Non præcipitanda tamen inter hæc est exsiccatio, ne pessumdetur medicamenti apparatus, & vel in gelatinosum magma, vel succum inspissatum degeneret.

## LIBRI QVARTI CAPVT DECIMVM,

De

### *Magisteriis in genere.*

**M**agisteria Chemicis dicuntur, excussa & deturbata vel præcipitata ad fundum, a menstruis appropriatis prius soluta & quasi deuorata, & ad sensum homogenea visa, in poris eorundem detenta. Audiunt sic principaliter *terrea*, subtilissimorum puluerum forma, & plusquam farinacea; adæquate *sulphurea* quoque, alias communiter resinæ, sulphura vel extracta quoque dicta, & *salina*.

Præter hanc propriam & genuinam notionem, etiam latius & improprie paulo dicuntur eadem, quæ fiunt sola euaporatione menstrui soluentis, ac in sulphureis quidem, adde & salinis, optima sunt, in terreis vero non item, quatenus retinent particulas menstrui, cum euaporato concorporatas, vnde pondere adauctæ, nec integra vel pura, imo nec raro corrosiua sunt.

Con-



Concurrunt ergo ad magisteriorum confectionem, principaliter 1. Solutio, nonnunquam & coctio, ut in magisterio antimonii diaphoretici, nonnunquam & ex parte euaporatio, ut eo magis debilitato menstruo fiat præcipitatio, in aliis efferuescentia, modo calida, sulphure in conflictum & motum simul vocato, modo frigida; & hinc 2. Præcipitatio.

Cum vero contrariorum eadem sit ratio, Solutionis & Præcipitationis, hæc ipsa ex eiusdem regulis intelligi, & ratio processus vna explicari potest. Vti enim solutio est similitum, ita præcipitatio contrariorum, seu contraria contrariis præcipitantur. Adeoque ulterius itidem pro latitudine contrarietatis, alia præcipitatio est primi generis, contrarietate absoluta, cum violentia & conflictu manifesto, & efferuescentia vel quasi, ut quando soluta ab acido præcipitantur ab alcali, vel vice versa.

Alia secundi generis, blanda quidem, sed nihilominus satis egregia, quando subordinata, sed diuersa tamen dimittere cogunt inuicem contenta seu soluta, ut quando soluta ab acido præcipitantur falso seu muria, exemplo magisterii lunæ, mercurii cosmetici, vel aqueo quoque exemplo mercurii vitæ: contrarietate secundum quid.

Alia tertii generis, vbi sub specie similitudinis exprimitur latitans & solutum, ut dum alterum oblatum amicum visum arripit menstruum, instar canis Æsopici quasi dimittit quod prius deuorauerat, ut aurum iniectum mercurio, luna iniecta venere: contrarietate per accidens.

Tria hinc se excipiunt, soluens, solutum & præcipitans, seu segregans e commixtione duorum extremorum, quasi medio sibi reddito, quod ut perfecte fiat, proportionata sibi debent esse soluens & præcipitans in contrarietate.

Non vero alia sunt hinc præcipitantia, quam soluentia, nisi solo hoc contrarietatis late sumptæ discrimine ac respectu; & totuplex hinc præcipitatum, quotuplex solutum, resinofum, terreum & salinum, per dicta.

# LIBRI QVARTI

## CAPVT VNDECIMVM,

De

### *Magisteriis in specie resinosis.*

**R**esinosa duplicia sunt cum primis, vegetabilia & mineralia: illa magis globosa & teneriora tamen, hæc bituminosa & compagis paulo diuersæ. Hinc nota

i. Resinosa Vegetabilia, soluta a spirituosissimis, præcipitantur aqueis, sed præuia quadam euaporatione, ut saturatior sit liquor, & menstruum sic iterum obtineatur.

Neque tamen promiscue quælibet huc spectant resinosa, sed quæ sicca forma pulueris & alias vtiliora sunt, inter quæ purgantia frequentiora. Eminent ex hisce v. g.

*Resina Gialapæ.* R. rad. gialapæ nigra resinosa q. v. lb̄. vel j. Contusæ affundatur spiritus vini rectificati sextuplum vel octuplum, stent per aliquot dies in infusione, leni calore, aliquando agitata, donec sufficiens facta sit extractio.

Abstracto hinc spiritu vini maximam partem, reliquo affundatur aquæ simplicis q. s. Ita enim lactescit, & sensim ad fundum deturbatur resina, in concha vitrea latiori excepta, exsiccanda & ad usum seruanda. Potest huic fini & ignobilior radix impendi, pulueri minus quadrans. Datur ad ℥. gr. xij. in essentia, emulsione, pilulis, &c.

Eundem plane in modum confit *Resina Scammonii*, delicatior, pellucida, & longe elegantissima. Et hæc quoque ratio depurandi scammonium est optima. Vt enim aliis diagyrium, vel scammonium sulphuratum etiam placeat impendere, & si id bonæ notæ fuerit, ob discontinuationem particularum resinosarum per addita alia non plane fit de nihilo; reuera tamen resina puritate omnibus præcellit, seu ad cerberum tricipitem, puluerem polychrestum, seu alios usus: tinctura  
vero

vero sandali rubri vel rosarum, si non superflua est, saltem accidentaria. Omnia hæc illustrat caput mortuum arenosum, impurum & iners, inde confurgens, & relictum.

Referri huc etiam potest *resina turpethi*, & magisterium *gummi guttae*, quamvis gummi-resina sit. Convenit vero magis fere pro determinato usu, loco stimuli, & quando vomitum simul ciere mens est, alias in hydropicis & fortioribus solum, nec ultra ℥. ad summum dandum. Tacemus ex alterantibus resinam ligni aloes, ligni sancti, & magisterium succini, inprimis vero extractum ladani, quæ satis sunt bona.

2. Resinosa mineralia seu bituminosa solvantur alcalicis, præcipitantur acidis. Magisterium quidem succini etiam spirituosius vinosius haberi potest, ob salis volatiliter interuentum, sed cum non nisi quoad superficiem extrahatur, minus fere in usu est. Referri vero ad hunc censum meretur ipsum sulphur auratum antimonii, via humida paratum. Neque enim vel minimum differt a præparatione magisteriorum, licet ob latiore operandi modum, & effectum singularem in colore, inflammabilitate, &c. peculiari nomine & loculo veniat.

Præcipuum huius commatis est magisterium sulphuris, sub *lactis sulphuris* nomine notum. Fit id communissime via humida: & florum sulphuris q. v. vel etiam sulphuris crudi, v. g. ℥. ij. iij. Coquatur cum affusa aqua, & triplo salis tartari, vel calcis viuæ, admixto, hinc filtratum liquorem præcipitando cum aceto.

Soluitur scilicet sulphur e tricus suis, admixto sale alcali: Obstetricante calore rubellus fit liquor, ob idem expansum & exaltatum sic magis; a præcipitatione vero albescit, detrusum e salis centro, & obtuso sic colore. Odor vero inde ingratus emergit, ob nudatum & immutatum, seu inuersum quasi per dicta sulphur. Caput mortuum etiam ipsum albet.

Neque

Neque tamen calcis viuæ additio quicquam obest, quin felicius fere sic operatio succedit, ob intimius & acrius sal terrenum eiusdem. Aliter etiam & quasi via sicca fieri potest idem, si cum sale ammoniaco & calce viua mixtum sulphur propellatur ex retorta vitrea igne arenæ, facta hinc itidem cum aceto præcipitatione.

Vsum habet pectoralem, & variandi gratia, & quod subtilius sic confringatur sulphur, salua manente inflammabilitate & viribus, in asthma, phthisi ipsa, &c. modo detur cum cautelis sulphuris ordinariis.

## LIBRI QVARTI

### CAPVT DVODECIMVM,

*De*

## *Magisteriis Terreis.*

**N**EC magisteria terrea sunt de nihilo, seu *ἀγένεσιν* species, curiosam analysin mixtorum, vt id speciatim, exemplo oculorum cancrorum & perlarum ad oculum patet; seu *σύγκρισιν*, cum soluta & præcipitata subtiliora, eaque minutissime confracta exhibeantur. Adde, quod non pauca, alioquin inaccessa metalla & mineralia, sic recludi gestiunt.

Hic vero nota, minus probari magisteria vegetabilium terrea, a Mynsichto, Zwelffero & aliis laudata; quod teneiores particulae illorum terreæ minus euocentur, & comminuantur menstruis alcalicis, nec aluminosa horum sint genuina præcipitantia. Adeoque nec pura sunt eadem, nec colore respondent, multo minus viribus, saltim pro vsu interno.

Tacemus improprie alio modo dicta magisteria, quæ non sunt talia nisi nomine, sed pulueres potius compositi, vt magisterium anodynum, sperniola Crollii, cornu cerui philosophice præparatum ipsum, & alia.

Executi

Excuti vero & separari partes terreas, vtilis nempe, e commercio intricantis sulphuris, seu gelatinosi, seu aliter se habentis, probant experimenta mechanica ad oculum, per dicta, v. g. in

*Magisterio Cornu Cerui.*

℞ rasuram cornu cerui puram albidam mediam, q. v. Affundatur huic, non tam, vt communiter fit, spiritus nitri cum aqua simplici probe hinc dilutus, infido non raro successu, quam, quod melius, spiritus vitrioli salinus. Quando solutio cum ebullitione facta est, affusa aqua simplici filtratur liquor, & præcipitatur, cum oleo Tartari per deliquium, magisterium farinaceum elegantissimum, in puluere, potionibus, emulsionibus, & aliis, egregii vsus. Par ratio est ossium similia, cranii humani, &c.

*Magisterium oculorum cancr. perlarum, &c.*

℞ oculos cancr. integros, vel perlar, ℥ss. j. Affundatur successiue in vitro conseruali spiritus vitrioli philosophicus: peracta efferuescentia & solutione, decantetur liquor vel filtratur quoque. Addatur denuo menstruum semel iterumque, donec sufficiens fuerit facta solutio, ita nempe vt purior, lucidior, medullaris puluillus soluat, & filtrum transeat, remaneat vero pellicula & lapillus durior, potissimum in perlis. Solutum & filtratum præcipitatur, affuso oleo Tartari per deliquium, filtratum & edulcatum exsiccat.

Ita simul & elementa seu principia constitutiua patent, & genuinitas, & habetur pars potior, nullaque noxa inde metuenda est corpori, sed potius virtus medica habetur. Magisterium oculorum cancrorum in calculo, fluore albo, &c. Perlarum in hectica, phthisi, palpitatione cordis, virium debilitate, in delicatioribus imprimis dandum.

In Coralliis vero, vbi adstringendi & roborandi vsus expetitur, fatendum est, præparata esse magisterio præferenda; & illa tamen his subtilitate cedunt. In singulis his, terreis & salinis imprimis, fit in solutione efferuescentia, a

Bb

con-

concurſu immediato acidi & alcali , expliciti vel impliciti, citra placabilem & ſufficientem ſulphuris mediatoris concurſum. Alia longe a fermentatione , vbi motus eſt blandus & ſucceſſiuus , & excitatiuus , hic vero ſimultaneus , impetuoſus & deſtructiuus, nudis frontibus inter ſe concurrentibus contrariis, vnde & effectus diuerſus conſequitur.

Quæcunque vero noxæ a magiſteriorum vſu leguntur obſeruata, intelligendæ ſunt de improprie dictis per euaporationem factis , hodie ob acrimoniam illam exoletis ; ſi mercurium præcipitatum , & ſaccharum Saturni exceperis, nec illa promiſcue, inprimis interius, vſurpanda, præterquam edulcatione facta, & in minori doſi.

Sic & in magiſterio gemmarum & lapidum pretioſorum non æque luxuriandum, ne ſulphur naturæ amicum & blandum , ſpirituum ſerenatiuum , cum terra ſubtili nuptum, immutetur ; ſaltim non nimis hyperbolice eadem prædicanda. Magiſterium oſſis ſepiæ , in gonorrhœa, vſitatum eſt.

De mercurio vitæ , ſeu magiſterio antimonii emetico, hic non attinet repetere , quam primo : non eſſe niſi nomine mercurium , ſed totum antimonialis naturæ ; ſecundo, ab acido mercurii ſublimate, ſolutis particulis regulinis, & aqua ſimplici e butyro antimonii præcipitatis , teſtibus viribus ; & tertio, vitro antimonii ſuccinato. Roſa vero vitæ mineralis, tincturæ ſandali debet colorem, qua cum mercurius vitæ imprægnatus eſt.

Magiſterium Iouis minus in vſu eſt, ſeu e minera ſeu calce paratum , ceteroqui temperatæ & benignæ naturæ. Singula vero hæc magiſteria parandi ratio conſiſtit, in ſulphuris, tanquam vinculi rerum vniuerſalis, diſſolutione, idque beneficio terræ intimæ vnitæ , quam dum ſubigunt menſtrua acida appropriata , & illud ſuum faciunt. Seorſim magiſterium lunæ, minus vſitatum hodie, præterquam vitrioli corroſiui laudato effectū ad foniculos , a fale tartari

tari

tari etiam præcipitatum, nigrorem concipit facile, nec a sale communi seu muria æque candorem.

In magisterio sacchari Saturni dulcor exutus est, destructo per alcali præcipitans vitriolico caractere, & sibi reddita cerussa subtiliori insipida.

Singulare præ omnibus est magisterium auri, cum terra lutosa conspicuum a præcipitatione, cum fulminandi imprimis virtute, unde dicitur & est *aurum fulminans*.

Æ auri foliati (& sic, vt ad candelam intuenti apparet, iam magis laceri) q. v. ðß. j. indatur vnum post alterum aquæ regię, in vitro latoris orificii q. s.; solutioni filtratæ vel decantatæ, instilletur oleum tartari per deliquium, ita enim præcipitatur mox magisterium, instar luti cuiusdam, vel terræ lutosæ.

Exsiccatum hoc l. a. ab aere temperate calido, vsum habet medicum, purgantem ad gr. v. vj. vij. cordialem, sudoriferum & carminatiuum, pro diuersitate edulcationis, in epilepsia, colica, tympanitide, cum appropriatis.

Fulminat vero primo hoc ipsum, si tantillum in cochleari admoueatur igni, non minus ac puluis pyrius, vel sclopetans alter huic analogus: & quidem secundo deorsum magis; tertio exuenda hæc vi per acidum florum sulphuris, vel spiritum salis.

*Fulminat* scilicet, ob principia cum puluere pyrio vel sclopetante altero communia, nitrum, sulphur, h. l. auri, & irretientes vtraque in puluere pyrio carbones, in puluere sclopetante & auro fulminante sal tartari, quod per experimenta cum spiritu nitri iunctum nitrum vulgare regenerat.

*Deorsum fulminat*, ob terram auri paulo fixiorem, & minus permeabilem, adeoque minus elasticum & displosiuum respectiue sulphur. Fixato vero magis per acida & sulphure auri, & nitro & terra alteratis, siltitur & conticescit hæc virtus, caractere displosiuo deleta, & auro magis fixato.

LIBRI QVARTI  
CAPVT DECIMVM TERTIVM,

De

*Magisteriis Salinis.*

**V**Ti vero menstrua salina obstetricantur magisteriis terreis, eorundem solutioni & præcipitationi impensa, ita & ipsamet nudis frontibus inter se commissa eadem pariunt, & quidem sui generis, enixo & medio sic emergente sale.

Enimuero salina magisteria parantur ex acidi & alcali concursu, tum secundario, tum primario sine. Secundario, & quasi aliud agendo, emergunt in præparatione magisteriorum aliorum, quæ quidem parantur cum spiritu acido, & præcipitantur cum oleo tartari per deliquium. Primario vero, citra aliorum concursum. Instar omnium est

*Tartarus Vitriolatus.*

℞ olei tartari per deliquium, vel salis tartari soluti saturate, q. v. Indito in vitro latiori seu conseruali, instilla per vices guttatim spiritum vitrioli optimi, vnde fit effervescentia, & vitrum in superficie leuiter incalescit; continuando eousque, donec non amplius vel leuissime effervescat, saltem liquore decantato, quod signum est cessari debere.

Ita vero primo præcipitatur ad fundum sal egregium crystallinum, (si quidem spiritus vitrioli fuerit bonus) vnde magisterii nomen meretur, seorsim asseruandum pro luitu, & exsiccandum tanquam optimum. Secundo liquor reliquus decantatus, sensim exhalatus, præbet crystallos cognomines, quamuis vulgo inter se ea fere confundantur.

Commodius hoc fere est, quam si via sicca ex parte paratur, seu sali tartari sicco affundendo spiritu vitrioli, quod tamen obtinet in spiritu vitrioli vel salis coagulato dicto, viribus parum inter se differentibus, aperitiuis, diureticis, resol-

resol-



LIBRI IV. CAP. XIV. DE LIQVOR. ET CRYSTALLIS. 197  
resoluentibus, in affectu hypochondriaco, calculo, hydrope,  
cachexia, & loco digestiui.

Facit hoc etiam ad variationem salium aliorum, quæ  
gratiam sic & nitorem maiorem acquirunt. Et reuera egregium  
est medicamentum tartarus vitriolatus, quod & detergit, & de-  
tergendo maiori dosi aluum laxat: modo adhibeatur ratio-  
ne humorum, in *σάος* & viscedine potius lymphæ, quam  
fluore eiusdem; ratione subiectorum, in robustioribus po-  
tius, quam debilioris texturæ, quæ salia minus tolerare pos-  
sunt, tum hæc, tum alia.

Pertinet huc & *tartarus vitriolatus liquidus* alius, quan-  
do in spiritu vitrioli soluuntur crysalli tartari, (item alias  
etiam vitriolum martis) & *tartarus resolutus*, quando ii-  
dem crysalli sale proprio, vel cinerum clauellatorum, vel  
ana vel dupla proportione salis, soluuntur, coquuntur, &  
iterum crysallifantur, vnde fit medicamentum polychre-  
stum, consimilibus viribus aperiendi, resoluendi, diureticis,  
lenitiuis, nephriticis, &c. conspicuum.

*Tartarus vero vitriolatus compositus, Solaris & Luna-  
ris*, fit sola additione & combinatione magisterii Solis vel  
Lunæ. Vtrumque confortatiuum, illud cordiale, in palpi-  
tatione cordis, &c. hoc cephalicum, in melancholia hypo-  
chondriaca, mania, hydrope, &c. habita tamen distinctione  
subiectorum. Tacemus *nitrum vitriolatum Mynsichti*, in  
febris, angina, calculo.

LIBRI QVARTI  
CAPVT DECIMVM QVARTVM,  
*De*  
*Liquoribus & Crystallis.*

**S**pecialis solutionis, & imprimis salium, exempla sunt Li-  
quores & Crystalli, illi liquida, sed concentrata, hi solida

Bb 3

& an-

& angulosa forma. Liquores nempe salini, ad modulum salium, alii sunt acidi, alii alcalici, alii medii potissimum.

Singuli vero sunt tum actiui, tum saturati, seu sale solo alterutro, seu mixto, cum partibus terreis, & adæquate sulphureis feminalibus quoque. Inter alcalia instar omnium est sal tartari, & cum hoc parati alii, vti liquor oculorum cancrorum, calcinatis iisdem cum sale tartari, ne liquorem nitri fixi simplicem & compositum, liquorem nephriticum, liquorem arsenici, & alios laudemus.

Inter acida eminet liquor martialis cum sale ammoniaco paratus, quod ipsum & liquores per se præbet, & ex aliis apparat. Sic e capite mortuo salis ammoniaci cum calce, viua fit liquor digestiuus, aperitiuus, e sublimatis oculis cancrorum cum sale ammoniaco, e residuo scilicet, liquor itidem nephriticus.

Medii quoque aliquot in vsu sunt. Non solum enim in hunc censum veniunt liquores cum acidis & terreis parati, vt liquor stypticus internus, e spiritu vitrioli a terra sigillata abstracto & per deliquium resoluto, (Salia enim sunt magnes humidi ex atmosphæra) vt & liquores nephritici & cordiales compositi Michaelis, sed & præcipue *arcanum tartari*.

Fit hoc ipsum r. ℞ salis tartari albicantis q. v. v. g. ℥ix. affundatur aceti destillati q. s. pro vna destillatione, v. g. ℔. iv. vj. iix. in cucurbita vitrea. Præuia efferuescentia, successiue infundendo facta, eaque frigida, abstrahatur liquor insipidus, acido nempe aceti destillati in alcali tartari recondito, immutato & destructo. Continuetur affusio & abstractio noui aceti destillati, cohobando tribus vel quatuor circiter vicibus, (pro modulo recepti salis, ac affusionis & bonitatis aceti destillati, ad ℥j. salis insumendo præter propter ℔j. ij. aceti destillati) donec acidus odor, sapor, & efferuescendi vis a destillato emergens, saturatum sal ostendat.

2. Velut

2. Velut actu secundo, affundatur spiritus vini rectificatus & semel saltim abstrahatur a sale saturato, quod prompte soluitur; & 3. residuum foliatum quasi, quod se stiterat saturatum sal, & elementis vini embryonatum, phlegmate proprio vel aqua simplici solvatur in liquorem polychrestum, aperitiuum, nephriticum, febrifugum, & ad paranda plura alia egregia velificantem, separato prius per filtrum sulphure cœnoso, nigricante, a sale separando. Neque sic opus est denuo destillationi subiicere idem.

Tacemus liquorem stypticum externum, ex aluminis & vitrioli solutione, prævia coctione cum aqua simplici (an cum spiritu vini, qui ipse quoque sistit hæmorrhagias, an cum aceto destillato?) in hæmorrhagiis narium, vteri & aliis; qui optimus est, nisi corrodat fibrillas membraneas, vnde non interne dandus, nec promiscue exterius valet.

Vt vero liquores consistentiam supponunt solutorum, minus durabilem, sed fluidam, in quam prompte abeunt, vnde & nomen habent; ita contrarii iisdem Crystalli, liquores salinos & hinc alios similes, in consistentiam solidam afferunt. Quam in rem & hic notabile est, terram præbere solidis basin, sulphur vinculum, sal coagulum, vtraque combinans; vnde sulphur in liquoribus debilitatum, & e terræ centro extrusum, in crystallis firmiter emittens, ministrante terra, & salis poris firmatis, ne humido laxentur.

Sic Cremor & Crystalli tartari nihil sunt aliud, quam tartarus (seu acidum vini, cum terreo sulphureo alcalino concretum) depuratus. Ob hanc texturam enim, accedente calore ignis, aquæ patet ingressus, & hinc sola simplici decoctione, cum aqua fontana, sed sufficienti, partes terræ partim subtiliores sub acido-salinis solutæ, in superficie cremorem, id est concretum in pelliculam subeunt, grossiores in fundum cedunt, partim potiores reliquæ in crystallos puriores & nitidiores secedunt.

Hinc in substantia & materiali non differunt, vtroque sulphu-

fulphu-

fulphure combinatorio inter sal acidum & alcalino - terreum integro manente. Pollent ergo virtute cum Tartaro communi, & ratione puritatis potiori digerendi, abstergendi, aperienti, leniendi, refrigerandi, fermentandi, &c. nobilissima, per se, in hepatico item rubro, & cum aliis.

CrySTALLISATIO ergo debetur particulis salinis varii generis, pro modulo miscelæ & ambientis, externorumque aliorum, cum terreo - sulphureis ita locatis, vt acumina sua in coalitione ostentare queant, quod patet ex diuersitate tractandi: vnde & variari possunt, & natiuis ipsis ideis, modo sexangularibus, modo quadratis, triangularibus, &c. expressis.

CrySTALLI tartari variis etiam aliis modis variant. Ita aluminosi febrifugi redduntur magis, miscendi tamen minus cum alcalibus; martiales, iique iterum non vni, anthypochondriaci, vt alia taceamus.

Insigne seorsim exemplum solutionis huius, & coagulationis, liquorum & crySTALLORUM, in primis præbent Nitrosa. Depuratur nitrum non solum a nitrariis, sulphureo - cœnosis & terrestrioribus partibus separatis, & crySTALLISATIS reliquis, sed & illo supposito a Chemicis, alterando idem & crySTALLISANDO.

Cum enim in nitro extent partes acidæ, alcalicæ & sulphuræ, exque laxius cohærentes, depuratur communiter aliquali abactione sulphurearum grossiorum, & cum his acidularum; inde fit v. g.

*Lapis Prunella.*

℞ nitri q. v. fundatur in crucibulo, leni igne carbonum: indantur per vices particulæ quædam sulphuris communis, quæ accensæ auferunt quasdam nitrosas, hinc sensim partem post partem eximendo, & cum tubulo terreo velut rotulando. Par ratio est

*Nitri*

*Nitri Ammoniacalis,*

si idem fiat cum particulis salis ammoniaci, vnde cum flamma odor aquæ regię spirat. In vtrisque moderate id faciendum, si enim nimis absumantur partes sulphureæ cum acidis, acrius fit & facilius liquefcit nitrum. Indirecte vero, & quasi aliud agendo, imo consultius idem fit, in nitro antimoniato; quæ singula interius rarius respectiue prædicendis, exterius vero in anginosis affectibus adhibentur. Posterius tamen prioribus præstat quoque.

*Nitrum Saturninum*, corporali miscela Saturni factum, hoc intacto relicto, non in vfu est. Aliud autem fieri potest ex nitri antimoniati (vel purioris quoque) ℥j. sacchari Saturni ℥ß. affuso aceto destillato fiat solutio, filtratio, vnde, præuia leni euaporatione ad tertias, elegantes concrefcunt crytalli, refrigerantes & antihæctici.

Duo vero alia ex nitro medicamenta pro interno vfu non omittenda sunt, *nitrum vitriolatum*, iam Basilio Valentino in MSS. & seorsim impressis celebratum, basis arcani nephritici eiusdem, vnde desumpsit Mynsichtus, abstracto a nitro spiritus vitrioli duplo, pro acido vtriusque vt concorporando, ita alterando; & cum hoc non confundendum, præ altero frequentius,

*Arcanum Duplicatum:*

in quo sal vitriolicum, ab ochra sua separatum, cum nitro depurato intime miscetur, cuius parandi modus occasione ingredientium aquæ fortis videtur inuentus esse.

Hanc in rem etiam a priori quibusdam solet parari, ex vitrioli Hungarici viridescens p. j. nitri part. iij. calcinando in crucibulo in furno anemio l. a. Hinc affusa aqua elixiuatio, & euaporatio fiat ad crytallisationem.

Alii, loco nitri simplicis, antimoniatum recipere malunt. ℞ nitri antimoniati, iam correcti, & acido rigidiori non ita facti, v. g. ℥viij. colcotharis vitrioli ℥iv. Puluerifata,

Cc

misc-

miscantur, & indantur successiue in crucibulum candefactum, cauendo ignem fusionis: hinc (seu deflagando desuper tantillo sulphuris prius, seu minus) solutione & coagulatione l. a. absoluendo reliquo, in crystallos ad usum asseruandos.

Ast si fateri volumus, quod res est, consultius est, sequi verum antiquum modum, illudque parare, more vsitato, ex capite mortuo aquæ fortis, decenter tamen. Alias quippe intime partes terreas cum nitrosis vitriolicis, citra diacrisin illam, remixtas habet, vnde nauseam quandoque mouet, aquæ fortis odore prædominante, vel sapore vitriolico, non sufficiente calcinatione & elixiuatione prægressa.

Hoc itaque vt hodie a destillatoribus illis quam optime paratur, leuique sumptu obtineri potest albissimum, ita vix opus est seorsim in eo operose occupari.

Indifferens inter hæc alius adhuc modus quorundam, quando via humida recipitur solutio vitrioli cum aqua simplici facta, q. v. instillatur alcali seu liquor nitri fixi, hinc filtrando transientem liquorem, affusa aqua diluendum, relicta in filtro præcipitata copiosa ochra, & euaporando sal idem pro lubitu.

Sane fatendum est, hæc esse omnino diuersa salia, neque confundenda, siquidem cum nitro antimoniato factum cum acido efferuescit, alterum vero non item.

Est hoc arcanum duplicatum genuinum reuera polychrestum medicamentum in suo genere, in febribus continuis & intermittentibus, remixtis appropriatis, in lymphæ eccentricitate & *si*, in calculo, hydrope, cachexia scorbutica & similibus, in hæmorrhagiis item narium; ceteroqui cauendis nitrosis in lymphæ fluoribus, ventriculi debilitate, diarrhœa, catarrhis, &c.

Tacemus, in podagra imprimis laudatum hodie, *saccharum lactis* dictum, seu aliis modis, seu simplicius saltim ex sero lactis bubuli vel caprini dulci, beneficio colaturæ calidæ, filtrato

l. a.

I. a. & blande euaporato ad mellaginem, hinc ad crySTALLI-  
 sandum in locum frigidum reposito factum; alterum item  
*sal mirabile*, quibusdam *catbarcticum Anglicanum* dictum, ex  
 coagulo spiritus vitrioli cum sale communi, ad illius  $\text{lbj}$ .  
 huius  $\text{lb}\frac{1}{4}$  vel  $\text{lbij}$ . recipiendo, euaporando, hinc calcinan-  
 do, cum aqua soluendo, filtrando, & in crystALLOS redi-  
 gendo.

Pertinet huc & *Sal tartari nitratum*, ex lapide prunellæ  
 & sale tartari paratum, diureticum, resoluens, nephriticum,  
 præcipitans, febrifugum. Loco illius vero facile miscueris  
 salia appropriata, cum arcano duplicato.

Sed parum abest, quin omnia illa asseramus ab vno  
 arcano *duplicato*, vel cum tinctura florum papaueris rhœados  
*triplicato*, præstari posse, vel melius quoque.

## LIBRI QVARTI CAPVT DECIMVM QVINTVM,

De

### *Præparationibus Chimicis re- liquis compositis.*

REliqua, ad certam ex dictis classem non æque referen-  
 da, nomine affectionum vel compositorum venire pos-  
 sunt. Ad affectiones referri possunt *Alcohol*, detorto Ara-  
 bico nomine, quod proprie antimonium notat, ad subtilio-  
 ra tum solida, intime confracta, vt pulueres, tum & ipsa li-  
 quida spirituosa, vt signentur sic & pulueres impalpabiles,  
 & spiritus vinosi rectificatissimi, vt spiritus vini alcoholifa-  
 tus, vix enim de aliis idem prædicatum legeris.

*Mixture* porro *Chimica* latius quidem patent, quate-  
 nus iuxta leges compositionis similia similibus, h. l. liquida

CC 2

media

media vel concentrata maxime, inter se miscentur, maiori vel minori apparatu, citra destillationem vel aliam præparationem combinatione factæ, classicæ, officinales, extemporaneæ. Ita fiunt mixturæ e solis spiritibus, exemplo mixturæ simplicis; quæ ipsa, etiam destillata, plurimarum aliarum est basis & regulâ. Fiunt etiam ex essentiis, elixiriis, & tincturis sibi subordinatis, homogeneis & conformibus, spiritibus item, & aliis. Fiunt ex singulis simul magna latitudine, cauendo tamen, ne fiat confusio vel turbatio, accessione eorum, quæ se inuicem non tolerant, sed vel præcipitant & destruunt, vel acuunt quoque. Et tales plurimæ in praxi selecta quotidie enascuntur extemporanea miscela.

Vt *Balsama* natiua, oleis & linimentis contradistincta, constant oleo æthereo cum spissiori seu bituminoso corpore, ita illorum æmula sunt artificialia, seu linimenta balsamica concentrata. Excipiens horum, tanquam corpus pro balsamo, est oleum nucis moschatæ, vel macis etiam expressum, omnibus palmam præripiens, & solum eo titulo dignum, seu priuatum odore proprio, in simplicibus, seu sibi relictum in compositis. Exceptum, olea ætherea, seu vnum solum hoc illud, vnde fiunt balsama simplicia, v. g. rutæ, maioranæ, succini, &c. seu plura homogenea in compositis.

In simplicibus ad certos saltim casus seruatur studiose odor & essentia, colore quoque pro re nata succedaneo aliquo expresso. Si vllibi ergo, etiam h. l. non nisi olea genuina recipienda. In compositis vero nullus speciatim odor eminere debet, sed obuolui reliquis.

Tale esse potest traumaticum, ex oleo Tartari destillato, cum balsamo de Peru; cordiale & polychrestum v. g. ℞ olei nucis moschatæ expr. ℥β. olei salu. citr. lauend. rutæ, (macis, succini alb. lign. rhod.) a. gtt. xx. camphoræ ℥β. M. Apoplecticum variorum, cum ambra, moscho & zibetho; hystericum, cum oleo cornu cerui.

Vsus



Vfus Balsamorum est multiplex, cum primis v. g. confortatiuus, ad nares, tempora, pulsus, linguam, &c. nam & assumi commode queunt.

Sunt ergo balsama nil aliud, quam mixtura oleorum congruorum, in spissam consistentiam redacta, vt illini apta sint, non vero prompte diffluant & exhalent.

ELÆOSACCHARA vero confiunt, mixtura olei vnus vel plurium æthereorum cum saccharo, hodie fere magis extemporanea, nisi forsã polychrestum aliquod placeat. Seruanda in his tum consistentia, vt fluidum in sicco extet, seu puluere, tum vires, vt diffundatur alias concentrata virtus, tum odor & gratia. Adeoque faciunt huc olea recentia, ætherea, delicata magis & suaueolentia, eaque vera & genuina, miscenda cum saccharo Canariensi, vel ad vsum pectoralem cum saccharo canto quoque, v. g. guttam j. ad ℞. vel ℞j. pro lubitu.

Vsum habet hæc mixtio aliquando primarium & directum magis, in frigidioribus, cruditatibus acidis, pituitosis, & inflationibus ventriculi, itidem vel simplicia, vel composita præscribenda: quamuis hodie etiam sine saccharo maritentur commode pulueribus olea, non excessiua quoque, in pulueribus pectoralibus, rotulis, &c. Possunt & BALSAMO-SACCHARA huc referri, cuius instar balsamum de Peru cum saccharo ad hunc modum remixtum, ad vlcera renum, gonorrhœam virulentam, imo & roborandum ventriculum ipsum, vti & alias essentia eius habetur. Idem valet de balsamo de Mecha.

Tacemus CERAS CHIMICAS, rariores tamen, præsertim pro vfu interno, v. g. vbi inceratione quasi egent roborandæ fibræ ventriculi & intestinorum, vti cera alba in pomo cydonio cocta etiam in dysenteria laudem inuenit. Talis celebrata fuit Cera Catholica Burrhi, Dec. I. an. X. Ephem. Germ. a nobis descripta. Sunt vno verbo Cerata Balsamica, seu balsama cum cera facta. Cera viridis alias etiam in clavis pedum prodest.

Pertinent huc & *Amuleta*, & *Xenexa Chimica*, simplicia & composita. Caueat vero medicus, ne præter physica, pure talia, ob effluuia specifica appropriata, admittat vel numerica, vel constellata phantastica alia, qualia sunt præstigiæ Hermetis dictæ, mysterium sigillorum Hübneri, & alia superstitiosa ac Christiano indigna.

Idem valet de curationibus sympatheticis & magneticis, ne ultra sphaeram actiuitatis quicquam illis tribuamus; quorum basis est vitriolum fere præcipua, ipso iam teste Helmontio, hinc & alia varie recocta. Vnde & quæ a Tentzelio in medicina diastatica, & Maxuello proponuntur, sobrie legenda, nec applicanda præterquam naturalia, quæ vel archeum alterant actorem, vt contactus manus cadaueris, positivæ & priuativæ, vel effluuia, mediante aere spiritus alterantia. Non vero quæ partium viuentium symbolismo debentur, admittenda temere, in vita & corpore exutis.

Nec *astra* Chimica aliquid aliud dicunt, quam arcana nomine hoc quasi velata, ad designandam virtutem, non item figuram. Minimum non aliam classem præter recepta & dicta constituunt, dicta etiam a vi luminosa, pro serenandis spiritibus.

## LIBRI QUARTI CAPUT DECIMUM SEXTUM;

De

### *Postulatis Chemicorum.*

**D**Vo cum primis circa Chemicorum quorundam asserta notanda, primo, quod hyperbolicis elogiis sua inuenta ornent, secundo, quod eadem occultent tanquam arcana, & possidere magis se arguant, quam demonstrent. Adde, quod

quod sint quoque aliqui ἀπαίδετοι, nec fundamentis artium vel philosophiæ imbuti, Empirici. Hinc quædam dubia, quædam falsa omnino, quædam autem vera, sed non nisi ænigmatice descripta.

*Quinta Essentia* a subtilitate dictæ, notant Paracelsus subtiliora & specifica medicamenta, virtute seminali sui simplicis prædita; quod nomen hodie ad spiritus oleosos, seu olea ipsa ætherea deductum, non adeo inconueniens est. Basilio vero sublimior origo, & plenior debetur.

Cum notum sit apud Chimicos, ignem esse destructorem seminum, frustra est παλιγγενεσία plantarum ex cineribus; in salibus vero, vel aquis & decoctis quoque congelatis, efflorescentiæ & figuræ illusere ignaris.

Neque etiam e diuersa combinatione & immutatione particularum, definite vel mercurius, vel alia enascuntur. Vnde mercurius currens, e regno vegetabili vel animali, non prius ingressum sortitus, nondum demonstratus est; quamuis hodie in salina secretum quærentes, illum ex eadem inuenisse afferant.

Neque enim ex animali, vel vegetabili regno, lapis Philosophorum, seu tinctura vniuersalis, recte quæritur, non obstante regnorum symbolismo quoad materiam vniuersalem. Neque enim tam illa absolute, quam specialis, quæritur. Cumque differant seminali principio, nec dentis falso aurei putati, obducti potius, vel aliis exemplis moueri sapientes debent.

Mercurium corporum e metallis vel mineralibus produci posse, non repugnat adeo rationi vel experienciæ, cum omnia metalla, teste Basilio, ex vna radice fiant, mercurio diuersimode fixato, & seminali charactere sulphuris tingentis & terræ vinculo effecta; non incongruum penitus fuerit, per tritum, per putrefactionem, per alia, cum primis ex molliori & minus maturo Saturno, Mercurium prodire posse. Hoc  
tamen

209 LIBRI IV. CAP. XVI. DE POSTVLATIS CHIMICORVM.  
tamen actum est agere, si inde tincturam repetas. Et si id  
non obtineatur, nihilominus salua illa perstat thesis.

Nec Sal vitriolicum figens, nec sulphur illigans & malle-  
abilitatis principium, in metallis vilo modo negari potest;  
quin id ipsum variis experimentis demonstrari, vel auri ful-  
minantis exemplo.

Si *Panacearum* nomine veniant remedia polychresta, lu-  
mine puriori serenare spiritum vitalem, vel alterare eminenti-  
us fluida corporis apta, non neglecta inquisitione vltiori  
mixtorum, & morborum; talia heroica ex cinnabarinis, anti-  
moniatibus, solaribus, mercurialibus, &c. concedi queunt.

Cumque & metalla gaudeant suo semine & fermento, & ex  
his maxime aurum, cum sulphur sit maxime diffusiuum prin-  
cipium, & fixari aptum, non absolum est statuere transmuta-  
tionem metallorum. Obtento enim tali seminali & concen-  
trato sulphure aurifero, Mercurium, Saturnum, aliaque in quæ  
ingressum adipiscitur, vi ignis accedente, maturari, tingi, figi,  
& in sublimiorem sphaeram exaltari posse, rationi consen-  
taneum. Sique de eo quid addendum, vt mineralia sunt via  
ad metalla, ita per hanc quasi anticameram ad regiam vnica  
patet via.

Symbolica denique præ aliis ex metallis sunt Mars & Ve-  
nus: vnde & illa non solum se inuicem fouent, sed etiam ex  
ferro prius recluso, & hinc immutato sulphure per aquas mi-  
nerales induci cuprum potest, destructa priori forma & fer-  
mento, quod ab effectu & affectionibus consideratum,  
nomine transmutationis non indignum apparet,  
vel vitrioli martis exemplo.

SOLI DEO GLORIA.

INDEX

# INDEX CAPITVM.

## PRÆFAMEN INTRODVCTORIVM.

*Liber I. De Theoria Principiorum Chemicorum.*

CAP. I. De Fundamentis Principiorum Chemicorum  
& separatim salis.

II. De Fundamentis sulphuris.

III. De Fundamentis Mercurii.

IV. De Fundamentis feminis.

V. De Fundamentis fermenti.

VI. De Chemicorum Principiis cognoscendi &  
curandi.

VII. De productis seu effectibus & operationibus  
Chemicis.

*Liber II. De Euaporatione.*

CAP. I. De destillatione Aquarum.

II. De destillatione Spirituum vinosorum.

III. De Spiritibus vrinosis.

IV. De Spiritibus acidis.

V. De Spiritibus medijs, seu compositis.

VI. De Oleis destillatis.

VII. De Floribus & Sublimatis.

VIII. De Salibus volatilibus.

*Liber III. De Accensione & Vstione.*

CAP. I. De Calcibus & Cineribus.

D d

II. De

INDEX.

- II. De Salibus alcalibus fixis.
- III. De Crocis.
- IV. De Regulis.
- V. De Vitris.
- VI. De Præcipitatis & coagulis Mercurialibus.

*Liber IV. De Solutione & Coagulatione.*

- CAP. I. De Solutione in genere.
- II. De Essentiis.
- III. De Tincturis.
- IV. De Extractis.
- V. De Elixiriis.
- VI. De Gelatinis.
- VII. De Vitriolis.
- VIII. De Sulphuribus.
- IX. De Feculis.
- X. De Magisteriis in genere.
- XI. De Magisteriis in specie Resinosis.
- XII. De Magisteriis Terreis.
- XIII. De Magisteriis Salinis.
- XIV. De Liquoribus & Crystallis.
- XV. De Præparationibus Chemicis reliquis compositis.
- XVI. De Postulatis Chemicorum.

INDEX



# I N D E X.

foetida	156		
carminatiua	157		
castorei	154		
hyperici	ibid.		
ligni aloes	ibid.		
lignorum	155		
myrrhae	157		
purgans	155		
succini	157		
theriacalis balsami-			
ca	44		
<b>Essentia</b> traumatica	155		
trifolii fibrini	158		
vitrioli martis Lu-			
douici	158		
<b>Euaporatio</b>	30		
<b>Extracta</b>	172		
laxatiuum	174		
<b>F.</b>			
<b>Feculae</b>	187		
<b>Flores</b>	92		
benzoes	97		
salis ammoniaci	ibid.		
martiales	99		
fulphuris	98		
<b>Fundamenta principiorum</b>			
chimicorum	5		
fermenti	22		
mercurii	14		
salis	6		
feminis	18		
fulphuris	10		
<b>G.</b>			
<b>Gelatinae</b>	178		
cornu cerui	178. 179		
<b>H.</b>			
<b>Hepaticum rubrum</b>	162		
		<b>L.</b>	
		Lac cephalicum	80
		fulphuris	191
		Lapis prunellae	200
		Liquores	197
		martialis	100
		stypticus internus	198
		externus	199
		<b>M.</b>	
		<b>Magisteria</b>	188
		anodynum	174
		antimonii	118
		auri	195
		cornu cerui	193
		Iouis	194
		oculorum cancro-	
		rum	ibid.
		lunae	ibid.
		perlarum	ibid.
		ossis sepiae	194
		resinosa	190
		salina	196
		saturni	138
		fulphuris	191
		terrea	192
		<b>Maluaticum iuniperinum</b>	
		seu sambucinum	155
		<b>Mercurius dulcis</b>	107
		coagulatus	148
		<b>Mercurius vitæ</b>	104
		<b>Mixtura simplex</b>	78
		rectificata	ibid.
		<b>N.</b>	
		<b>Nitrum ammoniacale</b>	201
		anodynum seu anti-	
		moniatum	118
		saturninum	201
		vitrio-	



I N D E X.

vitriolatum	ibid.	S.	
O.			
Olea destillata	81	Saccharum lactis	202
anisi	88	Salia alcalia fixa	121
anethi	ibid.	absinthii	125
carui	ibid.	artemisiæ	125
caryophyllor.	87	card. bened.	ibid.
ceræ	90	cent. min.	ibid.
chamomillæ	85	tartari	63
cochleariæ	ibid.	nitratum	202
fæniculi	88	mirabiæ	20
fl. lauendulæ	87	volatilia	108
odontalgicum	88	oleos. maioranæ	79
polychrestum	89	succini	89
saponis Veneti	90	vitrioli	71
ad scrophulas Helmon-		Solutio	149
tii	91	Spiritus acidi	57
succini	89	dulces	76
terebinthinæ	91	vinosi	ibid.
traumaticum	204	vinosi	77
Operationes chemicæ	28	apoplecticus	44
P.		ardens saturni	45
Panaceæ	208	cochleariæ	42. 49
Postulata chemicorum	206	cornu cerui	53. 54. 81
Præcipitata mercurialia	145	ebonis	54
Præparaciones chemicæ	202	formicarum volatilis	42. 52.
Principia chemicorum	16	fuliginis	49
Q.		glasti	50
Quintæ Essentiæ	207	lentium	ibid.
R.		ligni sancti	63
Reguli	135	liliorum conuall.	49
antimonii simplex	137	lumbricor. volatilis	51
martialis	138	mannæ	65
medicinalis	137	mellis	ibid.
Resina gialapæ	190	medii	76
scammonii	ibid.		
turpethi	191		

Dd 3

Spiri-

I N D E X.

Spiritus milleped.	54	Terra nitri dulcis	127
nephriticus	45	Tincturæ	158
nitri	68	antimonii tartari-	
dulcis	80	fata	163
ocul. cancrorum	54	cum spiritu virid.	
rutæ	49	æris	164
salis	64	antiphthifica	183
compositus	68	fl. bellidis	160
ammoniaci	55	coralliorum	63
dulcis	79	martis adstringens	
anisatus ibid.			67
tartari	62	cydoniata	167
volatilis	50	duplicata	165
vrinosus	51	helleborata	189
sambuci citratus	44	solaris	168
sanguinis hirci	54	tartarea	169
serpentum	ibid.	fl. papau. rh.	60
fulphuris	73	sandali rubri	162
theriacalis	43	fulphuris	171
vini rectificatus	48	tartari	ibid.
tartarifatus ibid.		violarum	160
viperarum	54	vitrioli	170
viridis æris	66		
vitrioli	69		
philosophicus		Vstio	111
salinus	74. 405	Vitriola	179
vinofi	77	martis	181
vrinofi	47	Vitra	140
Sublimata	92	antimonii hyacynthi-	
Sulphura	184	num	142
anodynum fixum	121	puniceum	143
antimonii	185. 186	succineum	
T.			106
Tartarus emeticus	144	Saturni	144
vitriolatus	196	X.	
		Xenexta chimica	206

Dieser Band wurde 2000 durch Bestrahlung sterilisiert. Verfärbungen stellen keine Gefahr dar.

Datum der Entleiung bitte

Datum der Entleiung bitte		

Chem. 150.

